


44.133



Res 44133 (6)

MORALIS CHRISTIANA EX SCRIPTURA SACRA, Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis

EX C E R P T A.

In quâ positis & statutis principiis generalibus
deducuntur consectaria;

Quibus casus conscientiae sigillatim explicantur.

Auctore R. P. JACOBO BEZOMBES, Doctore
Theologo, Congregationis Doctrinæ Christianæ,
& in Provincia Tolosana ejusdem Congregatio-
nis præposito Provinciali.


*Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit tecum;
ubi pariter hæsit, querat tecum; ubi errorem suum
cognoscit, redeat ad me; ubi tecum, revocet me, &
ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad
eum, de quo dictum est: Quærite faciem ejus sem-
per. Aug. lib. de Trin. cap.*




Apud G. ROBERT, Liberarium Artium Magistrum
& Typographum, in via Sancte Ursulae.

M D C C X I TOLOSÆ

Cum Approbatione & Privilegio.





ORDO.

Eorum, quæ in hoc sexto Volumine
continentur.

De variis hominum statibus.

DE necessitate Divinae Vocacionis, quo pac-
to inquirenda, & qua fidelitate sequen-
da. pag. 1

Nullus Christianus debet statum aliquem se-
ligere sine divina vocatione. z

Consectaria hujus Doctrinæ. 4

Nullus est status, in quo singulis hominibus
non interdicatur otium, & non præcipia-
tur aliquis labor vel mentis, vel corpo-
ris. 9

Consectaria hujus Doctrinæ. 12

*De variis peccatis, quæ in labore corporali com-
mitti possunt.* 16

Totiès peccamus laborando, quotiès noxio
vel inutili labori incumbimus, & necessa-
rium negligimus. Ibid.

Consectaria hujus Doctrinæ. 17

Totiès peccatur in labore corporali, quotiès
non suscipitur juxta modum Christianis
præceptum. 18

Consectaria hujus Doctrinæ. 19

Totiès peccamus laborando corporaliter, quo-
a

O R D O.

tiès dishonestum nobis finem proponimus.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	20
<i>De peccatis studentium.</i>	21
Totiès peccamus , quotiès vel noxiis , vel inutilibus studemus , & necessaria negligimus.	Ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	22
Totiès peccamus , quotiès non suscipimus studium juxta modum Christianis præscriptum.	26
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
Totiès studendo peccamus , quotiès dishonestum nobis finem proponimus.	29
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
<i>De ludo recreativo.</i>	30
Ludus recreativus simul & lucrativus non est ex suo genere peccatum ; sed recreatio utilis : potest tamen esse peccatum ex circumstantiis.	31
Consectaria hujus Doctrinæ.	Ibid.
T R A C T A T U S I. De Statu Religioſi.	34
Professio Religiosa prout est consecratio , includit essentialiter tria vota paupertatis , castitatis , & obedientiæ elicita in communitate per Ecclesiam approbata.	35
Consectaria hujus Doctrinæ.	36
Professio Religiosa prout est mutua conventio , exigit in voente habilitatem vovendi , & mutuum consensum in communitate.	38
Consectaria hujus Doctrinæ.	39
Nemo debet admitti ad statum Religiosum sine interiori vocatione.	40
Consectaria hujus Doctrinæ,	41

O R D O.

- Qui non sunt sui juris , non possunt admitti
ad statum Religiosum , nisi ex consensu il-
lorum , quibus subjiciuntur. 43
- Consectaria hujus Doctrinæ. 44
- Religiosus vi suæ professionis tenetur tendere
ad perfectionem , per exercitia virtutum
Theologicarum & Cardinalium , per ob-
servantiam votorum , & per exercitia spi-
ritualia in suo ordine præscripta. 46
- Consectaria hujus Doctrinæ. 47
- Religiosus post professionem non potest sine
causa dimittere communitatem , nec com-
munitas Religiosum. 48
- Consectaria hujus Doctrinæ. 49
- Professus & communitas possunt mutuam
obligationem rescindere ob causas , que sa-
ludem æternam respiciunt. Ibid.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 50
- Votum paupertatis importat rerum omnium
temporalium abdicationem , quoad proprie-
tatem , quoad usum - fructum , & quoad
usum absolutum & independentem. 52
- Consectaria hujus Doctrinæ. 53
- Votum paupertatis exigit , ut ligatus voto , ut
moderatum observeat rerum temporalium
usum , ab omni superfluo abstineat , ab utili &
commodo ita temperet , ut paratus sit in-
terdum aliquam penuriam pati. 57
- Consectaria hujus Doctrinæ. 58
- Non repugnat voto paupertatis , quod Reli-
giosi habeant mobilia bona vel immobilia
in communi. 60
- Consectaria hujus Doctrinæ. 61
- Juxta Fagnanum , Lupum , &c. Nulli Reli-
giose aut Moniali licet habere peculium ,

ORDO.

- aut pensionem vitalitiam etiam cum licen-
tia Superiorum ; sed quidquid habet Reli-
giosus , aut Monialis debet Conventui in-
corporari. 63
- Consecratio** hujus Doctrinæ. 64
- Religiosus vi voti castitatis tenetur abstinere
ab omni voluntaria delectatione venerea
interna & externa. 66
- Consecratio** hujus Doctrinæ. 67
- Religiosus Professus tenetur sub peccato fa-
cilegii obediens legitimo superiori in omni-
bus , quæ sunt secundum regulam ; non
vero in his , quæ sunt contra regulam. 70
- Consecratio** hujus Doctrinæ. 71
- Coram Deo votum simplex & solemne idem
sunt , ejusdemque obligationis. 72
- Consecratio** hujus Doctrinæ. 75
- TRACTATUS II. De Statu Clericali.** 76
- Status Clericalis , prout est consecratio , exi-
git sanctitatem internam , eamque specia-
lem. 77
- Consecratio** hujus Doctrinæ. 78
- Status Clericalis , prout est ministerium , exi-
git scientiam ad sacra ministranda necessa-
riam. 81
- Consecratio** hujus Doctrinæ. 82
- Nemo debet admitti ad statum Clericalem si-
ne interiori vocatione. 84
- Consecratio** hujus Doctrinæ. 85
- Qui sunt irregulares , vel ex defectu , vel ex
delicto , non possunt ad statum Clericalem
admitti. 88
- Clerici , à fortiori Monachi , debent iis vesti-
bus indui , quibus à populo distinguantur ,
imo debent caput attonsum habere. 89

O R D O.

- Consectaria** hujus Doctrinæ. 91
Clericis & Monachis interdicuntur ea exercitia , quæ feritatem aliquam redolent. 93
Consectaria hujus Doctrinæ. 94
Clericis & Monachis interdicuntur ea exercitia , quæ aliquod lucrum sapiunt , vel negotiis sacerularibus implicant. 96
Consectaria hujus Doctrinæ. 97
Clericis & Monachis interdicuntur ea recreatio , quæ sobrietatem offendit aut castitatem. 98
Consectaria hujus Doctrinæ. 99
Clericis & Monachis interdicuntur ex recreations , quæ gravitatem Clericalem & Monachalem dedecent. 100
Consectaria hujus Doctrinæ. 101
In Ecclesia debent esse orationes publicæ , quibus per ministros ejus petitur à Deo , quod est ad salutem necessarium. 103
Ad Eccleiam pertinet determinare , & quo pacto , & à quibus fieri debeat oratio publica. 105
Juxta antiquam Ecclesiarum praxim omnes Clerici . in quocunque essent ordine , tenebantur horas Canonicas recitare , & sic usque ad seculum circiter decimum. 106
Præcipua Monachorum & Monialium obligatio fuit semper horas Canonicas recitare. Ibid.
Juxta præsentem Ecclesiarum consuetudinem triplex est titulus obligans ad horas Canonicas , Beneficium Ecclesiasticum , ordo sacer , & professio Religiosa depntans ad chorum. 107
Consectaria hujus Doctrinæ: Ibid.
Quicumque tenetur Officium recitare , pec-
é ij

ORDO.

- eat mortalitè, si sine causa horas, vel notabilem earum partem omittat. 109
- Consecaria hujus Doctrinæ. 110
- Qui habet aliquod Beneficium, si omittat horas Canonicas, præter mortale peccatum, quod incurrit, tenetur ad restitucionem fractuum perceptorum pro rata omissi Officii parte. 111
- Consecaria hujus Doctrinæ. 112
- Quicumque tenentur ad Officium, debent illud recitare cum ea intentione interna, quam exigit oratio, & cum eo ritu extero, quem prescribit Ecclesia. 114
- Consecaria hujus Doctrinæ. 115
- Ecclesia est capax Dominii bonorum temporaliū tam mobilium, quam immobiliū. 118
- Qualis quantusque debeat esse amor paupertatis in Clericis, ostendunt exempla Christi, Apostolorum, & antiquorum Episcoporum. 119
- Castitas est à Clericis impensè observanda, sive id procedat ex constitutione Ecclesiastica, sive ex voto emiso in Subdiaconatu. 121
- Consecaria hujus Doctrinæ. 124
- Clerici tenentur obedere Episcopis in his, quæ spectant regimen Ecclesiæ, & statum Clericalem. 127
- Consecaria hujus Doctrinæ. 128
- Quilibet Clericus tenetur ex vi sui status juxta ministerii sui deputationem populum saluti invigilare religionem docendo, & Sacraenta ministrando. 129
- Consecaria hujus Doctrinæ. 131

O R D O.

- Oportet in docendis populis & Sacramentis
ministrandis eam methodum adhibere, quâ
Christus & Apostoli usi sunt. 134
- Consectaria hujus Doctrinæ. 135
- Nullum est in Ecclesia Officium sublimius,
quam munus prædicandi verbum Dei, &
conferendi Sacra menta. 137
- Consectaria hujus Doctrinæ. 140
- Vota paupertatis, castitatis, & obedientiae
cum ministerio Ecclesiastico componi pos-
sunt. 141
- Consectaria hujus Doctrinæ. 142
- Clericus tum sacerdotalis, tum regularis ligatus
prædictis votis, qui Beneficium Ecclesiasti-
cum suscepit, debet observare. 1. Quæ
pertinent ad statum Clericalem. 2. Quæ
pertinent ad statum suæ congregationis. 3.
Quæ spectant ad statum Beneficiarij. 145
- Consectaria hujus Doctrinæ. 146
- TRACTATUS III. De Statu Laï-
cali. 149
- Quicumque in aliqua dignitate civili consti-
tuti sunt præ aliis Laïcis, debent Deo ri-
motem aliquem specialem. 150
- Consectaria hujus Doctrinæ. 151
- Quicumque in aliqua dignitate constituti
sunt, debent post timorem Dei, cuius sunt
creaturæ, maximam reverentiam erga Ee-
clesiam, cuius sunt membra. 154
- Consectaria hujus Doctrinæ. 155
- Magnates debent omni tempore, tum belli,
tum pacis in speciali erga Reges fidelitate
una cum suis Vasallis persistere. 158
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Magnatos debent plebeis omnibus providare
é iiij

O R D O.

¶ Beneficam dilectionem , & protectionem apud Reges.	159
Consectaria hujus Doctrinæ.	160
Tot tantaque sunt Magnatum Officia , ut vix sine summa vigilia circumspici possint.	162
Consectaria hujus Doctrinæ.	164
Qui sunt in statu subjectionis , debent humili- liter in eo statu persistere , & conditionem magnatum timere potius quam deside- rare.	167
Consectaria hujus Doctrinæ.	168
Litigare in judicio , vel civilitè , exigendo bona temporalia nobis justè debita , vel cri- minaliter , exigendo justam vindictam , non est peccatum.	169
Consectaria hujus Doctrinæ.	170
Quamvis litigare coram legitimo judice sit li- citem ; tamen potest fieri illicitum ex cir- cumstantiis.	171
Consectaria hujus Doctrinæ.	172
Dotes necessariæ judicii sunt , autoritas judi- candi , scientia discernendi , voluntas cons- tans jus suum cuique reddendi , & fuga eujuscumque venalitatis in judicio exer- cendo.	175
Peccat judex , qui judicat sine autoritate , vel ordinaria , vel delegata , vel accessoria , vel arbitraria.	177
Consectaria hujus Doctrinæ.	178
Peccat judex , qui ex ignorantia , vel negli- gentia aliter , quam oportet , judicat.	182
Consectaria hujus Doctrinæ.	183
Peccat judex , qui quocumque modo corrup- tus judicat inique , vel quoad objectum , vel quoad modum procedendi.	185

• O R D O.

- Consecratio hujus Doctrinæ. 186
Peccat judex , quoties contra Regum edicta
aliquid pretio æstimabile accipit , vel ut
jus dicat , vel ut alicui partium faveat , vel
ut crimina impunita relinquit. 188
- Consecratio hujus Doctrinæ. 189
In judicio criminis 4. requiruntur , judex legiti-
timus , actor , sive accusans aut denuncians ,
Reus , & testes irrefragabiles. 190
- Judex non potest judicare reum , nisi in illum
autoritatem habeat vel ordinariam , vel de-
legatam , vel accessoriām. 192
- Consecratio hujus Doctrinæ. 193
Judex habens legitimam autoritatem debet
juxta juris formas procedere. Ibid.
- Consecratio hujus Doctrinæ. 194
Judex supradictus debet judicare secundum
allegata & probata. 195
- Consecratio hujus Doctrinæ. Ibid.
Judex tenetur reum accusatum & convictum
prenis à lege præscriptis addicere. 197
- Consecratio hujus Doctrinæ. Ibid.
Illi omnes possunt accusare , qui expreſſe per
jura non prohibentur. 198
- Consecratio hujus Doctrinæ. 199
Illi omnes jure prohibentur accusare , qui
præſumuntur non agere motivo justitiae ,
ſed aliis motivis. Ibid.
- Consecratio hujus Doctrinæ. Ibid.
Illi omnes accusare debent , qui ſufficientes
habent probationes , quibusconvincant reos ,
quorum impunitas prævidetur reip. nocen-
tura. 200
- Consecratio hujus Doctrinæ. 201
Omnis accusatio iuſta redditur , vel per ea

ORDO.

- Iumentiam , vel per prævaricationem , vel
per tergiversationem. 203
- Consectaria hujus Doctrinæ. 204
- Quomodo Confessario agendum cum eis , qui
accusantur. 205
- Nemo sive reus , sive innocens , potest malas
artes , quibus se defendat , adhibere. 207
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Accusatus potest juxta juris formas se defen-
dere , modo malas artes non adhibeat. 209
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Quando judex non procedit juxta ordinem
juris , & de hoc reus rationabilitè dubi-
tat , tunc interrogatus non tenetur respon-
dere judici , nec ei veritatem aperire. 210
- Consectaria hujus Doctrinæ. 211
- Cum judex legitimus legitimè procedit , idque
reus certò cognoscit , tunc illi interroganti
tenetur sub peccato mortali veritatem con-
fiteri , etiam si ob hanc confessionem sit
pœna mortis plectendus. 212
- Quomodo Confessarius se gerere debeat er-
ga reum , qui juridicè interrogatus est. 213
- Qui justè condemnatus est mortis , mutilatio-
nis , &c. tenetur huic supplicio sese sub-
jicere. 215
- Consectaria hujus Doctrinæ. 216
- Accusatus damnatus injustè potest se positivè
cum moderamine inculpatæ tutelæ contra
judicem & ministros ejus defendere. 217
- Consectaria hujus Doctrinæ. Ibid.
- Homo , quantumvis reus & justè condemna-
tus , non tenetur sibi ipsi pœnam infictam
inferre ; sed potest licite eam passivè se ha-
bendo eludere. 218

O R D O.

- Consectaria** hujus Doctrinæ. 219
Hi solum iure naturæ possunt esse testes, qui
veritati dignoscendæ inservire possunt. 220
- Consectaria** hujus Doctrinæ 221
Jure positivo hi omnes à testimonio feren-
do rejiciuntur, qui rationabilitè præsumi
possunt agere alio motivō, quam amore
veritatis. 222
- Consectaria** hujus Doctrinæ, ubi explicantur
exceptiones contra testes. *Ibid.* 223
- Quoties quis legitimè interrogatur, toties
tenetur testimonium reddere veritati; si re-
cuset peccat, & tenetur ad restitutionem
damnorum, quæ ex ejus silentio oriun-
tutur. 225
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 226
- Quicumque falsum testimonium profert, pec-
cat mortaliter. 226
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 230
- Duo requiruntur in Notatio præcipue, scien-
tia, quâ solemnes observet contractuum
formulas, & fidelitas, quâ nihil contra
æquitatem & veritatem finat in suis scrip-
tis irreperere. 232
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 232
- Advocatus & Procurator debent habere scien-
tiam convenientem; primus debet habere
peritiam legum; alter notitiam formalita-
tum juris. 234
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 235
- Procurator & Advocatus inviolabilem debent
clientibus fidelitatem. *Ibid.*
- Consectaria** hujus Doctrinæ. 236
- Advocatus & Procurator non possunt nisi eas
causas defendendas suscipere, quas justas

O J R D O.

- bonâ fide arbitrantur. 37
Consectaria hujus Doctrinæ. 238
Advocatus & Procurator licetè possunt justum
 preium accipere & exigere. 240
Consectaria hujus Doctrinæ. *Ibid.*
Magistri publici sunt reipub. tum Ecclesiasti-
 cæ , tum civili , maxime necessarii. 242
Consectaria hujus Doctrinæ. 246
Qui ad munus publicè docendi eligitur , de-
 bet esse immunis ab illis mentis , cordis
 & corporis defectibus , qui scholasticos à
 studio removere possent. 252
Consectaria hujus Doctrinæ. 253
Qui ad munus publicè docendi assumptus est,
 Christum debet in eo exercitio sibi & invo-
 candum & imitandum proponere. 255
Consectaria de his , quæ Magistri publici sibi
 ipsis debent. 257
Consectaria de his , quæ Magistri publici de-
 bent discipulis. 261
Dirigitur studiorum humaniorum litterarum. 274
Dirigitur studium Theologicum. 275
Dirigitur studium utriusque juris. 278
Consectaria de his , quæ Magistri publici de-
 bent veritati 280
Juvenes , præcipue qui academias frequen-
 tant , maximè debent virtuti & pietati sec-
 tandæ insistere. 286
Consectaria hujus Doctrinæ. 289
Qui student in publicis academiis , tenentur
 sub gravi peccato pro viribus studio incum-
 bere. 290
Consectaria hujus Doctrinæ. 292
Adolescentes , qui Academias frequentant ,

O R D O.

- debent Magistros publicos assidue audire ;
& sanæ eorum Doctrinæ humilitèr acquies-
cere. 294
- Consectaria hujus Doctrinæ. 295
- Scholastici ita debent ardenter veritatem
amare , ut obices omnes ab illa removen-
tes , longè abjiciant , & media omnia
ad illam deduentia sedulò amplectan-
tut. 296
- Consectaria de obicibus à veritate removen-
tibus. 298
- Consectaria de mediis eligendis ad veritatem
assequendam. 304
- Quo pacto artes liberales cum , quem me-
rentur , splendorum consequi possent. 310
- Artes Mechanicæ sunt maximè utiles , & earum
exercitium ad salutem consequendam aptissi-
mum est. 312
- Consectaria hujus Doctrinæ. 314
- Quicumque artibus Mechanicis vacat , nihil
in eis debet admittere , quod damnum pro-
ximo causare possit. 317
- Consectaria hujus Doctrinæ. 318
- Prælati tam Ecclesiastici , quam Religiosi
debent sibi Christum tanquam Prototypum
proponere. 328
- Consectaria de his , quæ Superiores spiritua-
les sibi debeant. 331
- Consectaria de his , quæ Prælatus tum
Ecclesiasticus , tum Religiosus debet
Deo. 339
- Consectaria de his , quæ Prælatus debet ovi-
bus suis. 346
- Consectaria de his , quæ prælati debent Ec-

O R D O.

clesiæ , vel communitati , cui præsunt.

Qui subsunt spiritualiter , debent sibi Christum imitandum proponere , ut fideliter & hilariter prælatis suis obediant.



MORALIS CHRISTIANA.

DE
VARIIS HOMINUM STATIBUS.

PROEMIUM PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate divinae vocationis ad quemlibet statum suscipiendum, quove pacto inquienda sit divina vocatio, & quâ fidelitate sequenda.



Ota. Status est certa vitæ conditio, quâ quis adstringitur ad certam vivendi formam, vel perpetuò, vel ad tempus incundani.

Status alius est sacer, alius non sacer, ceu sæcularis. Status sacer est ille, quo Christianus speciali modo Deo

Tom. VI.

A

2 MORALIS CHRISTIANA.

consecratur. Talis est status Clericalis , quo Christianus Tonsurā vel Sacramento ordinis Deo consecratur. Talis est etiam status Religiosus , quo quis professione regulari Deo consecratur.

Status non sacer seu sacerularis est ille , quo homo sacerularibus negotiis implicatur , nec Tonsurā , nec ordine , nec monasticā professione consecratur. Talis est status eorum , qui in sacerulari dignitate constituti sunt , ut Magistratus , & conditio eorum , qui sub sunt Magistratibus , ut cives. Talis est pariter status eorum , qui artibus liberalibus occupantur , ut advocati , medici , &c. Et eorum , qui artibus mechanicis detinentur , ut milites agricultorē , artifices , &c. De quibus omnibus sigillatim agendum.

PROPOSITIO Unica; Nullus Christianus debet statum aliquem seligere sine divina vocatione,

Probatur. 1º. Scripturā. *Scio Domine , quia non est hominis via ejus ; nec viri est , ut ambulet , & dirigat gressus suos.* Jerem. 10. v. 23. Ergo dum aliquam vivendi formam seligimus , ad eam debemus divinitus vocari , & dirigi.

2º. Ratione. 1a. Ratio. Homo non est sui juris , sed Dei : *ipse enim fecit nos , & non ipsi nos.* Psalm. 99. v. 3. ergo sicut servus , qui non est sui juris , non potest sine beneplacito heri sui statum aliquem eligere ; ita nec nobis licet aliquam vivendi formam sine beneplacito Dei suscipere.

2a. Ratio. Multiplex est status in Ecclesia , sicut licet status cōlibatūs , & matrimonii , sta-

DE VARIIS HOMINUM "STATIBUS. 3

tus Religiosus , status Ecclesiasticus , status Laicalis, quilibet ex illis statibus bonus est absoluere ; sed non est bonus respectivè ; potest enim quis aptus esse ad statum Laicalem , minime verò ad statum Religiosum , aut Ecclesiasticum : ergo oportet ut à Deo cognoscat , ad quem ex illis statibus divinitùs destinetur.

3a. Ratio Ecclesia corpus est , inquit Paulus. 1a. Ad Corinth. 12. Cujus caput Christus est , membra vero illius sunt homines baptisiati ; sicut ergo in corpore . Non omnia membra eumdem ^{actuorum} autem habent , ita in Ecclesia non omnes fideles idem habent Officium : ergo sicut posuit Deus membra unumquodque in corpore , sicut voluit ; ita oportet ut quemlibet Christianum in suo Officio statuat . Si secundum factum fuerit ; fidelis injunctum male exercebit officium ; sicuti pes manus officia ægræ exequitur . Insuper vitam molestam ducet ; sicuti membra extra debitum situm collocata non exiguum dolorem afferunt . Rursum sicut Deus in ordine naturali cuiilibet causæ creatæ confert vim ad effectus , quibus producendi destinatur , necessariam ; minime vero alteri creaturæ , v. g. confert igni vim calefaciendi , non aquæ ; & contra aquæ dat vim humetandi , quam igni denegat : ita quos ad aliquem statum eligit , illis confert gratiam specialem huic statui necessarium , quam eis , qui se intrudunt , justè ut plurimum denegat , juxta illud Isaiae Cap. 30. v. 1. *Væ filii desertores , dicit Dominus . ut faceretis Consilium , & non ex me : & ordiremini telam , & non per spiritum meum , ut adderetis peccatum super pec-*

4 MORALIS CHRISTIANA.

catum. Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis sperantes auxillum in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbrâ Ægypti. Et erit vobis fortis iudicium Pharaonis in confessionem, & fiducia umbrae Ægyptii in ignominiam Ægyptus enim frustrâ & vanè auxiliabitur, ut enim optimè ait Psalmista: nisi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Ita frustrâ statum aliquem vitæ nos ipsi eligimus, nisi ad eum divinitus dirigamur ; & ab eo adjuvemur.

Conseptarium Unicum.

Quid faciendum Christiano de eligendo statu cogianti.

I^o. Qui de eligendo alicujus vitæ statu cogitat, hæc verba Ecclesiastici Cap. 2. v. 1. Debet alto animo infigere; Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & præpara animam tuam ad temptationem. De prime, idest humilia, cor tuum, & sustine, id est; nihil præcipitanter agas. Inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus, & nefestines in tempore obductionis, id est, ne abjicias servitium Dei in tempore tribulationis. Sustine sustentationes Dei, id est, patienter feras probationem à Deo immissam. Conjugere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua, id est, ut prospere tibi cedat status vitæ, quem elegeris.

II. Si in peccato est, omnem affectum peccati debet abjecere, & ad Deum sincerâ poeni-

DE VARIIS HOMINUM STATIBUS. 5
tentia redire : quia vix alioquin exaudiesur
à Deo , ut ipsemet contestatur , *Invocabunt
me ; & non exaudiam. Mane consurgent , &
non invenient me ; eo quod exosam habuerint dis-
ciplinam , & timorem Domini non suscepérint.*
Proverb. Cap. 1º. 6. 28. & ad peccatores ait
per Ezech. 14. v. 4. *Ego Dominus respondebo
ei in multitudine immunditarum suarum ; fieri
enim ei , quod factum est Sauli. Consuluitque
Dominum , & non respondit ei , neque per so-
nnium , neque per Sacerdotes , neque per Pro-
phetas. 1º. Regum 28. v. 6. cuius silentii causa
est ; Quoniam in malevolam animam non introibit
sapientia , nec habitabit in corpore subdito pec-
catis. Cap. 1. v. 4.*

III. Constitutus in gratia Dei per veram
pénitentiam , debet per bonum Sacramen-
torum usum , à Deo enixè precibus petere ,
quem ei statum destinaverit , dicens : *Notam
fac mihi viam , in quâ ambulem ; quia ad te
levavi animam meam , doce me facere voluntatem
tuam. Psal. 142. v. 8. Domine ; quid me vis
facere. Act. 9. v. 6. ut Christo dicebat Pe-
trus 3º. Si tu es Iube me venire ad te. Matth.
14. v. 28.*

IV. In ea oratione , & in eo Sacramen-
torum usu , animum debet induere indiffe-
rentem , paratus eum amplecti statum , quem
Dominus indicaverit. In divina voluntate in-
daganda , necessarium est nos ita comparare ,
ut nostra omnis voluntas ccesset , & in neutram
partem magis vergat , inquit Clymacus de
fuga inanis vitæ. *Dominus Deus aperuit , in-
quit Isaias , mihi aurem ; ego autem non contra-
dico : retrorsum non abij. 50. v. 5. & David*

6 MORALIS CHRISTIANA.

ait : *paratum cor meum Deus, paratum cor meum* Psal 107. uterque Propheta his verbis indicat , quomodo affectus esse debeat , qui aliquem statum vult suscipere .

V. In illâ indiff. nrîâ constitutus vereatur , ne cupiditatem sequatur potius quàm charitatem , diabolum potius quàm Christum , carnis potius quàm Spíritus propensionem . *Ipse enim satanas transfiguratus se in Angelum lucis, 2a.* Ad Corin. Cap. 11. v. 14. Et sâpe sibi de se mens ipsa mentitur , & fingit se de bono opere amare , quod non amat , & de mundi gloria non amare , quod amat , ut ait Greg. past. p. 1. Cap. 9.

VI. Quas diaboli fraudes ut effugiat , & mentis sibi met ipsi mentientis astutias detegat , nihil agat sine prudentum Consilio . *Cor boni Consilii statue tecum; non est enim tibi aliud pluris illo.* Eccles. Cap. 37. v. 17. Rursus *Fili nihil sine Consilio facias,* & post factum non pœnitebis . Ibidem. 32. v. 24. *Noli præcipitatem agere, diu considera, diligenter intuere, magnum est quod proponis,* & opus habens multâ deliberatione ; experire quid possis , amicos consule .

VII. In petendo Consilio eos adeat , inquit Divus Thom 2. 2. q. 189. 2. 10. de quibus speratur , quod profint , & non impediant . Et Ecclesiasticus 37. v. 12. Indicans , à quibus petendum sit Consilium , ait ironice : *cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum injusto de justitia... cum timido de bello... cum tempto de pietate... cum servo pigro de multâ operatione.* Et ut denotet illud ironice dictum , addit : *non attendas bis in omni Consilio, sed cum viro sancto assiduus esto.* Consiliarius potest esse confessarius pius & prudens ; aut vir ali-

quis doctus & Pius, qui de re tanti momenti semoto omni præjudicio judicet. Si parentes sint profututi bonum est eos consulere ; ita enim exigit istud præceptum : *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Exod. 20. Si vero sunt nocituri, non sunt audiendi ; quia in his quæ sunt divisa obsequi, magis est obtenerandum patri Spirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis. Ad hæb. 12. v. 9. Unde Dominus reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ ; erant enim alii per quos illud opus impleti poterat, ut docet Christost. super illud Math. *Dimitie mortuos sepelire mortuos suos.* Et Hilar. Can. 3. In Math super illud : *Facibus & Joanne relictis retibus & patre, secutis sunt Dominum, ait : ex quo docemur Christum secuturi, & sæcularis vita sollitudine & paternæ domus consuetudine non teneri.* Ita apud D. Thom. 22. q. 189. a. 6. arg. sed contra.

VIII. Cum divina vocatio inquiritur, & qui dat, & qui petit Consilium, debent isthac omnia diligenter observare. 1^o. Utique debet solam Dei gloriam purâ intentione quaere, neuter debet carni vel sanguini acquiescere : *Cujus enim finis malus est, ipsum quoque malum est,* inquit Boetius. *Si oculus tuus, id est intentio tua, fuerit simplex, totum corpus tuum, id est opus tuum, Lucidum erit : si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Math 6. v. 22. 2^o. Utique debet vires tum corporis tum mentis ejus, qui vult statum aliquem ingredi cum ipso statu comparare. *Unusquisque, inquit Ambro. suum ingenium noverit, & ad id se ag-*

8 MORALIS CHRISTIANA.

plicet, quod sibi aptum elegerit, itaque quid sequatur prius consideret. Lib. I. offic. Cap. 44. Quis enim, inquit Christus, volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt ad perficiendum: ne pastore quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipient illudere, dicentes: hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Luc. 14. v. 28. 3º. Non oportet in perenni suspensione persistere, sed sufficienti adhibitâ diligentia, eum statum eligere, qui & viribus nostris judicatur convenientior, & gloriæ Dei manifestandæ opportunitas: alias semper suspensus, nihil boni inciperet: quippe Qui observat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet. Eccles. 11. v 4.

IX. Cum divina vocatio inquiritur, & qui dat, & qui petit Consilium, tanto maiorem debent adhibere diligentiam, quanto status, qui proponitur, est periculosior; minorem vero quanto est securior: quia, ut optimè ait D. Thom. 2. 2. q. 199. a. 10. *Diurna deliberatio, & multorum consilia requiruntur, in magnis, & dubiis; in his autem, quæ sunt certa & determinata, non requiritur consilium.* Sic magna requiritur circumspectio, quando status inducit obligationem perpetuam, qualis est status Religiosus, status Subdiaconatus, status matrimonii: Obligatio enim perpetua non debet temere suscipi. Sic magna requiritur circumspectio, quando status periculis est obnoxius; talis est status Clericalis, *Ad quem requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam Religionis status.*

DE VARIIS HOMINUM STATIBUS 9

D. Thom. 2. 2. q. 184. a. 8. *Sanctificabor in his, qui appropinquant ad me,* inquit Deus Levit. 10. v. 3. Talis est pariter status sacerdotalis eorum, qui præsunt etiam civiliter. *Judicium durissimum, his qui præsunt, fiet.* potentes autem potentè tormenta patientur. Sap. 6. v. 6. Talis est pariter militiæ exercitium: *Non enim militare delictum est, sed propter prædam, aut aliud quodvis pravum motivum militare, peccatum est.* Aug. serm. 19. veteris edit de verbis Domini. Talis est pariter status judicis, advocati, procuratoris, Tabellionis; quibus officiis nihil reipublicæ utilius. *Remota itaque justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia.* Aug. lib. 4. de civ. Cap. 4. Talis est pariter status eorum, qui occupantur artibus liberalibus, aut mechanicis; quælibet enim ars suas habet aleas, suaque pericula, quæ prævideri oportet, antequam quis eas artes temerè suscipiat . . . De his omnibus statibus deinceps sigillatim agemus.

ARTICULUS II.

In quo statuitur, quod singulis hominibus interdicatur otium, & labor aliquis mentis vel corporis præcipiatur.

PROPOSITIONE unica. Nullus est status, nulla conditio in Religione Christiana, in qua singulis hominibus non interdicatur otium, & non præcipiatur aliquis labor vel mentis, vel corporis.

Pobatur 1º. Scriptura. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Job 5. v. 7. &

10. MORALIS CHRISTIANA.

Paulus 2a. ad Thessal. Cap. 3. v. 10. ait. *Si quis non vult operari, nec manducet; ergo ex scriptura labor singulis hominibus præcipitur.*

2°. Ex Aug. Operis imperfecti contra Julianum lib. 6. Cap. 29. Nemine quippe, inquit, si doris generalem Sacra Scriptura significavit laborem, à quo nullus hominum est immunitus; cum alii laborant operibus duris, alii sollicitantibus curis... Nunc ergo laborant pauperes, laborant divites, laborant iusti, laborant iniqui, laborant magni, laborant pusilli, à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium: Ergo labor est de præcepto, & non solum de consilio.

3°. Ratione 1°. Ratio. Generalis pœnitentia à Deo cunctis hominibus imposita, à qua nullus potest nos dispensare, hæc est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. v. 19. Ergo cupidi homines tenentur, aut mentem, aut corpus aliquo labore occupare.

2a. Ratio. Oium est origo omnium vitiorum, juxta illud Eccles. 33. v. 29. *Multam malitiam docuit otiositas:* Ergo singulis hominibus interdilectum est otium.

4°. Exemplis. Quotquot extiterunt sancti in veteri & novo Testamento, hi omnes, & otium fugerunt, & labori, vel mentis, vel corporis non languide, sed ardenter incubuerunt, ut patet hac inductione. Adam innocens positus est in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. Adam pœnitens cogitum terram maledictam & spinas & tribulos germinantem in pœnam peccati proprio labore subigere. Abel est Pastor, Caïn Agricola. Noë arcam manibus suis constituit,

DE VARIIS HOMINUM STATUTIBUS. ¶

Abraham, Isaac, Jacob, ejusque filii, Pastores sunt ovium. Moïses, Josue, Gedeon, aliquique ductores populi, aut rebus pastoritiis, aut agrorum culturâ occupabantur. Saul, David, aliquique Reges, imò & Prophetæ, aut pascendis gregibus, aut incolendis agris incumbebant, & simul Dei legem meditabantur, & ita & corpore & mente occupabantur.

In novo Testamento Christus secundus Adam Fabri est filius, Imò secundum Marcum & Faber ipse operabatur manibus suis, non necessitate, cum multa populorum milia quinque panibus & paucis pisciculis nutrirerit, sed ut nobis exemplum daret & otium fugiendum esse ostenderet. Apostoli pescatores erant, & operibus & labore manuum vivebant. Paulus, etsi Civis Romanus, & indefesso zelo Evangelium Prædicans, labore tamen manuum suarum viciturabat; ideo scribens ad Thessalonicenses ait: Epist. Cap. 3. v. 8. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus, non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipos formam daremus vobis ad imitandum nos: nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis; quoniam si quis non vult operari, nec manducet.*

Sic antiqui Eremitæ & Monachi, non modo labore manuum suarum vivere, sed inde lucrari etiam solebant, unde necessitatem patientibus Eleemosinam impertirent. Post verò in cœnobia & Conventus congregati, alii agros colere alii scribendis libris Sacris, & Sanctorum operibus pariter Scribendis detine-

ri cœperunt: Ergo exemplo Christi & sanctorum oportet singulos Christianos, qui volunt salutem æternam consequi, aut mente aut corpore occupari; nemo enim salvus esse protest, nisi Christum & Sanctos imitatus fuerit; *imitatores mei estote*, inquit Paulus, *sicut & ego Christi.* 1a. Ad Corinth. Cap. II. v. 1. Docet etiam neminem salvandum esse, nisi Christum imitatus fuerit: *quos præscivit, inquit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui.* Ad Rom. 8. v. 29.

Consectaria hujus Doctrine.

C O N S E C T A R I U M I. In magno salatis peticulo versantur illi omnes, quorum vita ea est, ut à lecto ad epulas, ab epulis ad ludos, Comædias, Chores, aliaque mundi oblectamenta; rursus ab illis oblectamentis ad Cænam, à Cænā ad lectum transeant, & vitam omnem inertes & desidiosi transfigant; licet enim nec creditoribus suis injuriam faciant, uel domesticos debito fraudulent salario, nec vasallos injustis vexent exactiōibus, & sic coram hominibus innocentes appareant, ob vitam tamen desidiosam & inertem coram Deo abominandi sunt, ut docet Job. 15. v. 16. *Quanto magis,* inquit, *abominabilis est inutilis homo,* idest otiosus, qui bibit sicut aquam iniquitatem & proverbiorum &c. dicitur. *Homo Apostata est vir inutilis,* id est desidiosus. Quamvis enim homines illi inertes turpibus vitiis non inquinentur; sunt ranien coram Deo arbores infructuosæ, inutiliter terram occupantes, quas jubet Deus erradicari juxta illud

illud. Excide illam arborem, ut quid terram occupat. Et rursus. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Vitam denique otiosam & delitiis diffluentem damnavit Christus exemplo servi, quem Dominus ob talentum reconditum in tenebras exteriores jussit detrudi. Eodem pertinet divitis illius parabola, qui inducatur purpura & bisso, & epulabatur quotidie splendidè. Luc. 15. v. 19. Quippe ob id. Sepultus est in inferno. Ibid. v. 22.

C O N S E C T A R I U M II. In magno salutis periculo versantur omnes illi homines, sive nobiles, sive plebei, qui aut ingenti numerorum copiâ ditati, aut frugifero fundo potiti, redditibus suis sine curâ, sine labore, sed molli otio vitam omnem transfigunt, rati nullius criminis esse reos, modo nulli injuriam faciant; ipsa enim vita otiosa crimen est non exiguum coram Deo; juxta illud Davidis & Pauli. *Omnes declinaverunt, simul inuitiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ubi indicatur, quod vita ipsa otiosa, & crimen sit, & multorum criminum origo.

C O N S E C T A R I U M III. In majori adhuc salutis periculo versantur Clerici, tum regulares, tum sacerdotes, qui solâ Breviarii recitatione contenti, reliquum diei tempus insumunt, modò ludis, modò nova accipiendo & enarrando, aut vanis aliis detenti occupationibus. Si enim otium in laïco vituperandum sit, longè magis in Clerico, tum sacerdotali, tum regulari damnandum est; sunt enim Clerici hi, de quibus scriptum est, Ma-

lach. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Et illos praesertim Petrus alloquitur, dicens in Cap. 3. v. 15. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eis, que est in vobis, spe.* Itaque semotō omni otio studeant, vel ut concionari, vel confessiones audire, vel saltem Doctrinam Christianam audidores docere valeant; quod si his munericibus sint impares, exerceant se, vel mandali aliquo opere, ut Carthusiani Sacerdotes, vel addiscant manuscripta legere, ut ea transcribant monumenta patrum, in quibus religio continetur; & sic alicui subsidio sint aliis Sacerdotibus, qui utiliter pro Ecclesia student, & in vincis Domini operantur.

C O N S E C T A R I U M IV. Prædicatores & Confessarii tenentur fideles admonere, tum in concionibus, tum in Confessionibus, laborem, vel mentis, vel corporis singulis esse non de consilio, sed de præcepto, & proinde unumquemque fidelem teneri ad amplectendum vel mentis, vel corporis laborem aliquem, qui statui suo atque conditioni conveniat. Sic alii debent studio vacare, alii vero aliquo labore exerceri; v. g. Agricolæ debent agrotum culturæ incumbere, milites bellicos labores subire, mercatores mercaturam exercere, artifices arti suæ sedulam navare operam, Nobiles & plebeii, qui suis redditibus vivunt, diligentem debent bonorum suorum curam gerere eaque tanquam rationem reddituti, administrare. Demum quilibet

eam, quam norit artem, aut nosse debet, in ea exerceat se, necessum est, ut otium fugiat. Sic mulieres Nobiles, sive plebeiae rei domesticae curam debent conferre, famulis famulabusque suum cuique laborem praecipere, filiis filiabusque vestiendis insistere, demum mulierem fortrem imitari, de qua scriptum est. Consideravit semitas dominus suae, & panem otiosa non comedit. Proverb. 31. v. 27. Sic Clerici, tum saculares, tum regulares debent studio Religionis vacare, ut iam ipsi addiscant, & populos edoceant. Judices, advocati, &c. Leges debent addiscere, ut jus suum cuique reddant. Medici morborum causas investigare, ut eis opportuna remedia afferant. Tandem juvenes omnes, qui scholas frequentant, aut domi student, totis viribus eripi, ut eam scientiam acquirant, quae est necessaria ad eum statum, quem ingredi intendunt. Confessarii ergo, & concionatores debent, idque non olcitanter, sed serio inculcare omnibus & singulis laborem praeceptum esse. Declarat enim sapiens. Proverb. Cap. ii. v. 21. *Manus in manu*, idest, vir desidiosus, non erit innocens. Et Eccles. 15. v. 22. Expressè declarat, quod Deus otiosos odio habeat. *Non enim*, inquit, *concupiscit* Deus *multitudinem filiorum infidelium & inutilium*, *id est* otiosorum.

ARTICULUS III.

De Variis peccatis, quæ in labore corporali committi possunt.

NO T A. Labor corporalis est exercitium, quod membris corporeis exercetur: talis est, v. g. Agrorum cultura, vel artis mechanicæ exercitium.

Qui laborant corporaliter, peccare possunt, vel ratione rerum, circa quas exercetur labor corporalis, vel ratione modi, quo laborant, vel ratione finis, quem laborando intendunt.

§. I.

De his, circa que labor corporalis exerci potest.

PROPOSITIO unica. Circa ea debemus laborem corporalem exercere, quæ, cum quoad corpus, tum quoad animam, nobis vel proximo professe possunt; & ideo quoties peccamus laborando, quoties noxio vel inutili labore incumbimus, & necessarium negligimus.

Probatur ratione. Labor corporalis ideo præsertim præcipitur, vel ut nobis necessaria comparemus, vel ut proximo ea, quibus opus habet, provideamus, juxta illud pauli. *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.* Ad Ephesios 4. v. 28. Ergo peccamus quoties

laborando necessarium laboremi omittimus,
& noxio labore occupamur.

Consecataria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant, qui eo labore occupantur, qui futurus est noxius, vel nobis, vel proximo, sive quoad corpus, sive quoad animam. Sic peccant, qui conficiendis venenis incumbunt, quando venenum ad nihil aliud inservire potest, quam vel ut vitam tollat, vel ut sanitatem minuat. Sic peccant, qui artibus incumbunt, quæ virtus sovent, v. g. qui tabellas lascivas efformant, libros impudicos, aut hereticos imprimunt; qui in cibis condiciendis non querunt, quæ necessari corporali possunt satisfacere, sed propriis inventis ea excogitant, quæ voluptati tantum serviunt, gulam sovent, & concupiscentiam excitant; qui in vestibus conficiendis propriis inventis eas excogitant formas, non quæ vestiendo corpori sunt necessaria, sed quæ vanitatem, & immodestiam sovent, luxum adaugent, & amorem sæculi inspirant.

Nolo tamen hic damnare omnia ciborum condimenta, nec vestium diversitatem; hoc enim planè injustum esset; pulmentum enim, quod Isaac dabatur, satis aperte indicat ciborum condimenta ratione ætatis, infirmitatis, imò & conditionis, licita esse; decet enim aliter nutriti rusticos, aliter nobiles; aliter infirmos, aliter sanos; aliter senes, aliter juvenes: decet etiam aliis vestibus indui viros nobiles, aliis rusticos, uti haud dubie

splendidiūs induebatur Esther , quām ejus
asseclæ. Sed hæc tum ciborum , tum vestium
differentia intra eos limites est coērcenda , ut
semper in cibis caveatur intemperantia , &
in vestibus vanitas , quam semper & in omni-
bus sine ullo discrimine damnat Christi reli-
gio : neve quis inani aut conditionis , aut digni-
tatis nomine , superbiæ , aut gulæ indulgeat.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant hi om-
nes , qui in labore manuum , quæ necessa-
ria sunt , omitunt , & vanis , curiosis , inuti-
libusque operibus occupantur ; oportet enim
unumquemque juxta suam conditionem & ar-
tem occupari , ut agnovit Poëta etiam eth-
nicus . *Quam quisque norit artem , inquit , in
hac se exerceat.* Unde optandum foret ut à
republicâ Christianâ exularent omnes illæ ar-
tes , quæ rebus vanis occupantur , v. g. ar-
tes conficiendi fucum , & pigmenta , ars con-
ficiendi larvas , & alia hujusmodi , quæ ad
nihil aliud , quam ad corrumpendos mores
conducunt.

§. II.

Quomodo labor corporalis sit exercendus.

P R O P O S I T I O unica. Totiès peccatur
in laboris corporalis exercitio , quotiès juxta
modum Christianis præceptum non suscip-
tur.

P r o b a t u r . Ratiōne. Labor corporalis oc-
cupatio est , quā corpus occupatur , quæque
his , qui studendo non occupantur , indispen-
sabili lege præcipitur ; ut patet ex dictis : er-
go peccatur , quotiès juxta modum Christia-

DE VARIIS HOMINUM STATIBUS. 19
nis præceptum, non suscipitur; quia Christianis non solum res ipsa. sed modus rei imperatur.

Consecataria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant, qui laborem corporalem, vel actualiter, vel virtualiter Deo non offerunt: quia præcipitur Christianis, ut omnia in gloriam Dei faciant; juxta illud. *Omnia in gloriam Dei facite.* Ad Corint. Cap. I. ver. 3.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant, qui laborem corporalem interdum aliquâ oratione non interruptunt; non enim ita debemus rebus corporalibus insistere, ut mentem nostram à Deo amoveamus: unde notat. Aug. *Quod Eremitæ*, qui corporalibus operibus occupabantur, breves & ardentes in Deum orationes effundebant.

C O N S E C T A R I U M III. Peccant, qui laborando ita corpus aggravant, ut subeundi vulgaribus operibus ineptum fiat; Deus enim vult corpus nostrum exerceri, sed non aggravi.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant, qui laborando ita lentè & languidè occupantur, ut otiori potius, quam operari videantur; & si operas suas locaverint, tenentur ad restitucionem.

S. III.

De fine, quem debemus nobis proponere in labore corporali.

P R O P O S I T I O unica. Totiès laborando

corporaliter peccamus, quoties in honestum nobis finem proponimus.

Probatur. Labor corporalis est actio de se indifferentis; atqui omnis actio indifferentis in honesto sine vitiatur: ergo labor in honesto sine vitiabitur; ergo laborando debemus honestum finem nobis proponere.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant qui laborem corporalem exercendo, fines hic subjectos sibi proponunt. 1°. Qui laborant ob vanitatem; vanitas enim latens venenum est, quod in opera etiam viliora irrepit, ut patet exemplo illius Eremitæ, qui plus laboraverat, quam iussus fuerat, cujusque opus in poenam vanitatis igni addictum est, & quidem merito; Christus enim annuntiat Pharisæis inutilia fore eorum opera, eo quod vanam gloriam ac populares plausus appeterent.

2°. Peccant qui laborant solo motivo avaritiae, & amore divitiarum; nam, ut docet Paulus, Ad Timoth. Cap. 6, v. 9. *Qui volunt dñi vites fieri, incident in temptationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, que mergunt homines in interitum & perditionem.*

CONSECTARIUM II. Non peccant, quin imò sanctè se gerant, qui laborando corporaliter subjectos sibi fines proponunt. 1°. Qui laborem corporalem suscipiunt, ut onus conditioni humanæ necessatio adjunctum. *Homo enim, ut diximus, nascitur ad laborem, & avjs ad volatum.* 2°. Qui laborem susci-

piant, ut pœnitentiam à Deo cunctis hominibus impositam, quâ præterita peccata diluunt, & futura præcavent. 3º. Qui laborem corporalem suscipiunt, ut Christum imitentur, qui fuit in laboribus à juventute suâ. 4º. Qui laborem corporalem suscipiunt, ut ea lucentur, quæ sibi aut familiæ sunt necessaria: debent enim parentes labore manuum suarum filiis suis, & nutritionem, & hæreditatem providere; juxta illud Pauli. 22. Ad Corinth. 12. v. 14. Non enim debent filii parentibus Thesaurisare, sed parentes filiis.

ARTICULUS IV.

De Variis Peccatis, que Studendo committuntur solent.

NO R A studium est mentis applicatio, quâ vel addiscimus, quod ignorabamus, vel retinemus, quod jam addidicimus. Qui autem student, peccare possunt, vel ratione rerum, quibus student, vel ratione modi, quo student, vel ratione finis, quem studendo intendunt. Quæ omnia hîc percurrentur.

S. I.

De Rebus, quibus studere liceat.

PROPOSITIO unica. Ea tantum debemus addiscere, quæ inservire possunt conservandis, acquirendisve bonis, tum mentis, tum corporis, tum fortunæ. Totiès peccamus, quotiès vel noxiis, vel inutilibus rebus

studemus, aut necessaria scire negligimus.

Probatur ratione. Studium est pabulum mentis; quippe sicuti corpus escis corporalibus alitur, ita mens nostra studio & contemplatione nutritur: ergo sicut peccaret ille, qui vel venenosos, vel noxios cibos sumeret, & necessaria sibi alimenta substraheret; ita peccat, qui studendo animum adjungit, vel noxiis, vel inutilibus rebus, vel quæ sunt necessaria, omittit addiscere. Anima nostra est quasi ager, quem Deus unicuique nostrum excolendum commisit; dedit enim Deus animam homini, ut posuit Adamum in Paradi-
so, ut operaretur, & custodiret illum: ergo sicut imprudenter ageret, & peccaret, qui agrorum suorum culturam negligeret, vel eis aut noxia, aut inutilia semina mandaret; ita peccat haud dubie, qui animam suam, vel utili studio non excolit, vel noxiis, aut inutilibus Doctrinis corrumpit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant, qui stu-
dent falsis Doctrinis, quæ fidem possunt cor-
rumpere. *Jure enim naturali*, inquit Sylvius....
In z. z. *Vetitum est legere libros Hereticorum*,
quando periculum est subversionis; qui enim
amat periculum, in illo peribit; & ea lectio,
inquit, magis est periculosa, quam vel disputa-
tio, vel colloquium verbale; partim quia scrip-
ta sunt magis meditata, magis ornata, & com-
posita; partim quia cum in promptu sint, sa-
pius & attentius leguntur; partim quia sic vera
falsis, & bonis mala immiscent, ut facile in-

cautios decipient. Nemo igitur, quantumvis doctus, potest eos libros sine licentia legere.

C O N S E C T . I I . Peccant, qui legunt libros obscenos, qui castos mores possunt offendere; si enim corruptunt bonos mores colloquia prava, à fortiori lectio obscenorum. Ejusdem criminis rei sunt, qui citra necessitatem curiosus, quam par est, diversi sexus anatomiam inspiciunt, quique eos ludos & Theatrorum spectacula contemplantur, quæ semper, vel ad peccatum, vel ad peccandi periculum inclinant, contra illud scripturæ præceptum. Tamquam à facie Colubri fuge peccatum. Eccles. 21. v. 2.

C O N S E C T . I I I . Peccant, qui non student ad defendendam veritatem, aut qui student ad eam impugnandam. Quales sunt Philosophi illi superbi, qui Philosophiam suam fidei regulis subjecere renuunt, de quibus Paulus ad Coloss. 2. Videte, ne quis vos decipiatur per Philosophiam & inanem scientiam secundum traditionem hominum, & non secundum Christum, & Diony. Apud. D. Thom. 2. 2. q. 197. a. 1. Ad 3. De iisdem Philosophis loquens, ait. Quod Divinis non Sancte contra Divina utuntur, per sapientiam Dei tentantes expellere Divinam venerationem. Tales sunt etiam Heretici, qui Scripturas lexitant, easque totis ingenii viribus in alienum sensum detorquent, de quibus omnibus ita loquitur D. Thom. 2. 2. q. 167. a. 1. In Corp. Qui student aliquid addiscere ad peccandum, vitiosum studium habent, secundum illud Hierem. 9. Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent, laboraverunt. Non longè ab

istis recedunt, qui immodo sciendi desiderio allecti, tempus ipsum pietati & exercitiis spiritualibus debitum, profano studio impendunt; maledictum enim studium, ut vulgo dicitur, propter quod relinquitur officium.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant, qui curiosis insistunt cogitationibus, quæ nec ad corporalis vitæ necessitatem, nec ad laudabilem virtutis notitiam ordinantur; sed potius hominem ab aliquâ utili consideratione avertunt; quales sunt vanæ speculations, de quibus ita Paulus. *Stultas & sine disciplina questiones devita, sciens, quia generant lites.*

2a. Ad Tim. 1. *Stultas autem questiones, & Genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; sunt enim inutiles & vane.* Ad Tit. 3. Talis est pariter curiositas in ludis, & spectaculis spectandis, & in inquirendis factis, aut arcanis aliorum, inquit Sylvius.

C O N S E C T A R I U M V. Peccant hi, qui nituntur addiscere ea, quæ Deus latere voluit, de quibus Eccl. 3. v. 22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Et rursus, *Scrutator maiestatis opprimetur à gloriâ.*

C O N S E C T. VI. Peccant hi, qui sacerdalem scientiam scientiæ salutis præponunt, quos ita monet Bernardus Serm. 36. in Cant. *Te scire prius ampliusque curato, quæ senseris viciniora salutis, & Aug. 5. Conf. Cap. 4. Beatus, qui te scit, etiam si illa nesciat; qui verò te, & illa novit, non propter illa, beatior;* sed propter te solum, *beatus est.*

C O N S E C T. VII. Peccat, qui omittit scire, quæ sui sunt Officii, v. g. Theologus negligit

DE VARIIS HOMINUM STATIBUS. 25

neglit scire Biblia, Jurisconsultus leges,
Medicus morborum causam & medicinam,
quos ita alloquitur Ecclesiasticus. Cap. 3. v.
22. Quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper,
& in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.

Sic juxta Aug. Peccant omnes Christiani,
qui desertis viri inibus; & nescientes, quid sit
Deus, & quanta maiestas semper eodem modo
manentis naturæ; magnum aliquid se agere pu-
tant, si universam illam corporis molem, quam
mundum nuncupamus, curiosimè intentissimèque
perquirant; unde etiam tanta superbia gignitur,
ut in ipso cœlo, de quo disputant, sibi met ba-
bitare videantur. Lib. I. De moribus Ecclesie.
Cap. 21. Et post hæc addit: Reprimat igitur se
anima ab hujzmodi vanæ cognitionis cupiditate,
si se castam deservare disposuit.

Sic peccant Sacerdotes, qui cum debeant
in lege Domini die ac nocte meditari, non
alio quam fabularum studio delectantur, qui-
que veteres, ac recentiores Poëtas, & Orato-
res assidue leuant, cum sacros libros ne-
quidem norunt, ac propè fastidunt, de qui-
bus ita Hierony. De filio prodigo. Sacerdotes,
inquit, dimissis Evangelii & Prophetis solent
Comœdias legere, & amatoria bucolicorum ver-
suum verba cantare.

Sic demum peccant, sive Juristæ sive Me-
dici, &c. Qui neglectis artis suæ libertis, his
student, quibus non fiunt in ea arte, quam
exercent. peritiiores: tenetur enim quilibet
omni posthabitâ scientiâ, eam, quam
exerciturus est, artem primitus addiscere, &
postea tantum cum occasio se se obtulerit,
aliis scientiis vacare poterit. Imò admonendi

26 MORALIS CHRISTIANA

sunt, qui legendis comœdiis, aut Poëtis ad animum relaxandum indulgent, ne forte relaxationis obtentu, aut voluptatis illecebrâ, aut profanæ eloquentiæ splendore decepti, nimiam temporis partem inanibus & ludicris studiis insument.

S. II.

De modo, secundum quem nos studere oporteat;

PROPOSITIO UNICA. Totiès peccamus, quotiès studium non suscipimus juxta modum hominibus Christianis præscriptum.

Probatur Ratione. Studium est actio, quâ mens nostra occupatur, & quæ indispensabili lege his omnibus præcipitur, qui corporali exercitio non occupantur; quia, ut patet ex dictis, oportet nos, aut mente, aut corpore occupati: Ergo peccatur, quotiès studium juxta modum Christianis præscriptum non suscipitur; Christianis enim non solum res ipsa, sed modus rei imperatur.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECARIUM I. Ante studium oportet mentem nostram oratione aliquâ præmunire; si enim Deum in oratione non alloquamur, nisi priùs mente dispositâ, juxta illud. *Ante orationem præpara animam tuam, ne sis sicut homo tentans Deum Ecclis. 18. v. 25.* Item si Deus exigat mentem nostram præparati, cum nos allocuturus est, juxta illud dictum Judæis legem recepturis. *Estate para-*

n̄ in diem tertium. Exod. 18. v. 15. A fortiori decet nos paratos ad lectionem venire , præcipue si libros ab hominibus editos lecturi sumus , in quibus aliquid ignorantiae , aut humanæ cupiditatis semper illabitur. Quocirca ante studium debemus ardenter in hanc orationem etumpere. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis ; ut præviā hæc dispositione salutaris fiat librorum humanorum lectio.* Si enim piâ consuetudine statutum est nos cibos non sumere , nisi præviā oratione ; hoc idem potiori jure fieri ante studium pietas admonet : Cum naturali instinctu cibos corporales noxios præcavere possimus , noxiari verò lectionem nedum naturali instinctu perhorremus , quin imo depravato appetitu hanc ardentius concupiscimus.

CONSECTARIUM II. Dum actu studemus , necesse est , ut studium subeat tanquam sudor ille penalis cunctis hominibus impositus ; cum dictum est Adamo. *In sudore vulnus tui vesceris pane tuo ; vel ad summum tanquam animi relaxatio , quâ siamus a officia nostra aptiores.* Studium quippe Christiani hominis non vana est mentis delectatio sed gravis exercitatio ; non ludus , sed occupatio seria , cui insistere nos oportet , vel i officio nostro faciamus satis , si studeamus seriis ; vel ut siamus ad officium & promptiores & alacriores , si studeamus libris jucundi. Quod circa dum libris officii nostri insistimus habeamus istud semper animo fixum. *Maledictus , qui facit opus Domini fraudulenter.* Jerem. 48. v. 10. *Qui mollis & dissolutus est in*

opere suo frater est opera sua dissipantis,
Prover. 18. v. 9. Dum legimus jucunda &
Iudicra ad mentis relaxationem, ad illud Apostoli
monitum debemus semper attendere. Tantum ne libertatem in occasionem deis carnis.
Ad Galat. 5. v. 13.

CONSECTARIUM III. Quando studemus, lectionem debet interrumpere frequens oratio; duo enim extrema periculosa vitanda sunt, nimirum curiositas, & negligentia. Curiositas discendi protoparentes ad peccandum allexit. *Eritis, inquit serpens illusor* scit dñi, sciennes bonum & malum. Gen. 3. v. 5. Negligentia Sacerdotes à Sacerdotio exclusit. *Quia tu scientiam, inquit Deus, repulisti, ego repel' am te, ne Sacerdotio fungaris mibi.* Osée Cap. 4. v. 6.

CONSECTARIUM IV. Post studium debemus utilia, quæ studio didicimus, animo itari, noxia verò longè rejicere. *Cibus similem, ut ait Bernard. serm. 36. In cantica, gelus, & qui bonam non habet decoctionem, is generat humores, & corruptit corpus, & nutrit:* Ita & multa scientia ingesta studio animæ, quæ est memoria, si decocta igne choris non fuerit; nonne illa scientia reputabili peccatum, tamquam cibus conversus in os noxiosque humores. Et Sapiens studens, & non meditantem dolio perforato comit. *Cor fatui tamquam vas confractum, & em sapientiam non tenebit.* Eccles. 21. v. De iis vero, qui inutilia servant, utilia obliviscuntur, ita idem Sapiens loquitur. *Sicut in percussurâ Cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius.* Eccles. Cap. 27. v. 5.

S. III.

De fine studii nosiri.

P R O P O S I T I O unica. Toties studendo peccamus, quoties dishonestum nobis finem proponimus.

Probatur. Studium est actio de se indifferens atque omnis actio indifferens dishonesto fine viciatur: ergo studium dishonesto fine viciatur.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant, qui studendo fines hic subjectos sibi proponunt.
 1^o. Qui student, ut sciunt. 2^o. Qui student, ut sciantur. 3^o. Qui student, ut lucentur temporalia; quia illi fines sunt dishonesti. Curiositas enim immodica sciendi, ambitio, & immoderatus divitiarum appetitus omnia in studium vitiant. De his ita loquitur Bernard. serm. 36. In Cant. Sunt, qui scire volunt, eo fine tantum, ut sciant; & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsis: & turpis vanitas est ... Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificant; & charitas est. Et item qui scire volunt, ut ædificantur; & prudentia est.

C O N S E C T A R I U M I I. Non peccant, quin imo sanctè se gerunt, qui studendo fines hic subjectos sibi proponunt. 1^o. Qui sta-

dent, ut ignorantiam conditioni humanæ necessariò adjunctam è mente expellant, & necessariam statui suo scientiam acquirant. De quibus ita Amb. Can. Legimus dist. 37. Legimus aliqua, inquit, ne negligentur; legimus, ne ignoremus: legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus. 2°. Qui studium sacrum suscipiunt in pœnam peccatorum, quæ commiserunt, studendo rebus vanis & inutilibus. Ut enim argumentatur Paul. ad Rom. 46. v. 19. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae ad sanctificationem. Ita sicuti mens nostra incubuit legendis pravis libris, ita & bonis legendis incumbat, ut saltem perinde sit intenta veritati, atque olim addicta fuit errori, tantumque saltem vacet bonis, quantum sese malis tradidit.

ARTICULUS V.

De Ludo, recreationis causa assumptio.

POstquam de labore & studio disputatum est, ipsa rerum series nos vocat ad ea, quæ pertinent ad ludum, quo relaxantur animi.

Ludus, ut diximus, ubi de contractibus, est triplex; recreativus solum, lucrativus solum, recreativus simul & lucrativus. In primo sola intenditur animi relaxatio, in secundo solum lucrum queritur. In tertio magis queritur animi relaxatio, quam lucrum. Hic Ludus So-

let definiri pactum , quo oblectantes depo-
nunt aliquid cestrum victori.

PROPOSITIO unica. Ludus recreativus
simil & lucrativus non est ex suo genere pec-
catum ; sed recreatio utilis ; potest tamen esse
peccatum ex circumstantiis.

Probatur. 1º. Scripturā. *Avocare , & lude ,*
& age conceptiones tuas , & non in delictis.
Eccles. 32. v. 15. 16. Ergo ludus potest esse
sine peccato , & cum peccato.

2º. Ex Aug. *Volo tandem tibi parcas ;*
nam sapientem decet interdum remittere aciem
rebus agendis intentam. Lib. 2. De music.
Cap. ultimo.

3º. Ratione. Non minus debetur quies men-
ti , quam corpori ; quia virtus utriusque , ut-
pote finita , diuturniore exercitio fatigatur :
quies autem animæ non consistit in cessatione
ab omni operatione ; quia animus . numquam
cessat ab omni actione , nisi forte in somno :
ergo consistit in cessatione ab operatione seriâ
& in applicatione aliquâ jucundâ & ludricâ :
ergo ludus de se non est illicitus , sed neces-
sarius ; nec illicitus fit ratione rei appretiabi-
lis , quæ in commune exponitur ; quia potest
quilibet res suas pro libito liberaliter dare : er-
& eas ludo exponere ; ludus tamen potest
esse illicitus ex circumstantiis ; si fiat aliter ,
quam debet fieri.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Ex circumstantijs.
Quis. Ludus potest esse illicitus ratione personæ.
Si ludus talis talem personam dedecet , v. g:

Si senex ludis puerilibus occupetur ; si Magistratus ad plebeiorum ludos se deprimat ; si Clericus Laicorum ludos sectetur. Ideo Canones antiqui renovati in Concilio Tridentino alearum ludos Clericis interdicunt self 22. De reformatione Cap. 1. Clerici , inquit latera 4. *Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Can. 16.*

C O N S E C T A R I U M . II. Ex circumstantia. *Quid.* Ludus potest esse illicitus ratione objecti. Si ludus virtutem aliquam offendat; puta Religionem, castitatem, justitiam, &c. v. g. Si Sacra menta in derisionem deducantur; & ludus ille dicitur irreligious. Si verba vel facta turpia assumantur ; & ludus ille dicitur obscenus. Si noceatur viæ, famæ, fortunis proximi : & ludus ille dicitur perniciosus.

C O N S E C T A R I U M III. Ludus potest esse illicitus ex circumstantiâ. *Ubi;* scilicet ratione loci. Si ludus fiat in loco prohibito , v. g. si ludi Theatrales fierent in loco sacro.

C O N S E C T A R I U M IV. Ludus potest esse illicitus ex circumstantiâ. *Quibus auxiliis;* scilicet ratione rerum , quæ exponuntur ludo ; v. g. Si quis non habens rerum Dominium , puta Monachus , uxor , filius familias , res ingenti pretio estimabiles ludo exponeret ... Nam res exigui momenti cum licentia ludo exponere non esset peccatum. Item si Pater-Familias res sibi vel Familiae necessarias ludis consumeret , ut fuisimus diximus alibi. Item qui vel modicam pecuniam ludo tradunt , cum calamitosa sunt tempora ; tunc enīm coercenda est ludendi cupiditas, ut

exerceatur charitas , & pauperibus , qui sunt imagines Dei , & membra Christi , copiosius subveniatur. Vide de Eléemosina.

C O N S E C T A R I U M V. Ludus potest esse illicitus ex circumstantia. *cur*, scilicet ratione finis , ut si quis Indendo, alium sibi finem quām animi relaxationem proponeret , v. g. si solum lucrum intenderet.


C O N S E C T A R I U M VI. Ludus potest esse illicitus ex circumstantia. *Quomodo* , scilicet ratione modi , ut si fraudulenter aut ardentiūs , quām par est , ludatur. Fraudulenter quidem ut si quis lucretur ab his , qui non possunt alienare , ut sunt Monachi , uxores , minores ; si quis invitum traheret ad ludum , vel vi , vel improbis precibus ; si quis colludentem deciperet ; si quis absente pecuniam luderet , dum alias ludit præsenti. Quibus casibus fraudulenter acquirens , tenetur restituere , quod ludo lucratus est. Si quis quod perdidit ludo , non solveret , nisi esset lex dispensans à promisso adimplendo. De quo ubi de contractibus ardentiūs verò cum quis contra præceptum Dei vel Ecclesiæ ludit , vel totam mentem ita ludo occupat , ut ad seria negotia fiat insufficiens.

C O N S E C T . V t I. Ludus potest esse illicitus ex circumstantia. *Quando* , scilicet ratione temporis *quantitativer* vel *designativē* spectati. *Quantitativer* , ut si multum temporis in ludo insumatur , & omittantur seria , vel quæ sunt de præcepto . . . *Designativē* , ut si ludatur tempore Sacro , actionibus Religiosis indispensabilibus destinato , tempore calamitoso luctui & non ludo destinato ; ex talibus cis-

34 MORALIS CHRISTIANA;
constantis Iudus aliundē honestus , illicitus
redditur.

Hinc constat graviter peccare eos , qui ludendo nullam aliam nisi temporis iacturam faciunt , vel ex eo solum , quod nihil sit eo tempore pretiosius , quod ad comparandam æternitatem nobis concessum à Deo est; deinde singula temporis ; momenta ita sunt Religiose ordinanda , & piè insuvienda , ut dies plenos ante Deum habeamus ; quod quidem minimè præstant , qui præter necessitatem ludis aliquam temporis portionem perdunt.

Hinc constat pariter insigniter peccare eos , qui dum mala sunt tempora , ludo indulgent ; quippe qui publicæ miseriæ videantur illudere , & divinam iracundiam , quæ nisi pœnitendo placari non potest , novis rursus delictis accendant , gravioresque calamitates intempestivis ludis terris potius accersant , quam verâ cordis compunctione eliminent.



TRACTATUS PRIMUS.

De Statu Religiosis.

PRO E M I U M.

POstquam tradita sunt ea , quæ ad laborem , tum mentis , tum corporis pertinent , aut ad ludos , quibus interdum nos relaxari nostre imbecillitati concessum est , juvat singulos hominum status percurrere , quæque sunt omnibus ac singulis conditionibus

præcepta , aut vetita recensere , ac primùm quidem occurrit status Religiosus , qui secundūm præsentem Ecclesiæ disciplinam , nihil est aliud , quam collectio & societas hominum , qui ad Christianam perfectionem nituntur , quique triplici voto castitatis , paupertatis , & obedientiæ , se se totos Deo consecrant in Congregatione per Ecclesiam approbatā.

Religiosa autem professio considerari potest , primò pro ut est promissio , quā Religiosus se se Deo totum devovet . Secundò , pro ut est pactum quoddam mutuum , quo Religiosus communitati , & communitas vicissim Religioso se obligant . Quibus ita præmonitis sit .

CAPUT I.

De his , quæ ad professionem Religiosam pertinent , prout consecratio est , quā se Religiosus Deo devovet .

ARTICULUS UNICUS.

Quibus votis continetur professio Religiosa .

PROPOSITIO unica . Professio Religiosa includit essentialiter tria vota , paupertatis , castitatis , & obedientiæ elicita in communitate per Ecclesiam approbatā .

Probatur . 1^o. Jure Canon . Custodia castitatis , & abdicatio proprietatis sunt annexa regulæ Monachali . In his continetur obedientia . Cap .

Cum ad Monasterium. De statu Monach.

2^o. Ex Divo Thomâ. *Convenienter tribus votis Castitatis, paupertatis, & obedientiae status Religionis integratur.* 2^a. 2^a. q. 183.

3^o. Ratione. Religio est. 1^o. Tendentia ad perfectionem. 2^o. recessus à sæculi sollicitudinibus. 3^o. Holocaustum Deo oblatum per praedicta vota. Religiosus hæc omnia assequitur; Si Religio consideretur prout est tendentia ad perfectionem. 1^o. Cupiditas exteriorum bonorum reprimitur per votum paupertatis. 2^o. Concupiscentia sensibilium delectabilium per votum castitatis 3^o. Inconstantia voluntatis figitur per votum obedientiae. Si vero consideretur, prout est recessus à sollicitudine: sollicitudo sæculi istius, seu divitarum, & honorum tollitur per votum paupertatis; sollicitudo circa uxorem & filios per votum castitatis; sollicitudo propriæ determinationis per votum obedientiae. Si consideretur, prout, est holocaustum, bona exteriora offeruntur Deo per paupertatem, bona corporis per continentiam, bona animæ per obedientiam: ergo Religio prout est tendentia ad perfectionem, prout est recessus à sæculo, prout est holocaustum Deo oblatum, importat hæc tria vota, scilicet votum paupertatis, castitatis. & obedientiae: & quia status Religionis est societas sancta, ideo non potest stabiliti nisi per Ecclesiam approbetur.

Consecutaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Omnis illa societas, in quâ eliciuntur hæc tria vota approbante

probante & acceptante Ecclesia, est verè status Religiosus. Tales sunt plures cœtus in Ecclesia, v.g. Ordo D. Benedicti, & hi, qui ab isto pullularunt; ordines mendicantium, scilicet Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum, Augustinianorum; Ordo Jesuitarum toto Orbe satis notus, ordo Theatinarum; ordo militantium pro causâ Religionis, ut Ordo Sancti Joannis Hierosolimitani; & ordo ministrantium pauperibus, qualis est ordo Cruciferorum Sancti Antonii.

CONSECTARIUM II. Omnis illa societas, in qua non elicuntur tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiae; aut si elicantur, non acceptantur, nec approbantur ab Ecclesia, ut vota solemnia, non est verè status Religiosus, quantumvis in eâ sancte vivatur; sed solùm est Congregatio aliqua pia; ejusmodi sunt multæ Piæ societates erectoræ sub Solo titulo Congregationis, non Religionis, v. g.,

Congregatio Clericorum sacerularium Ora-
tarii instituta per sanctum Philippum Nerium,
& approbata per Gregorium 13. Constit. 101.
Copiosus.

Congregatio Clericorum sacerularium Ora-
tarii in Regno Galliæ instituta per Cardina-
lem de Berulle, & confirmata per Paulum V.
Constit. 91. Sacrosancta.

Congregatio Clericorum sacerularium Doc-
trinæ Christianæ instituta per Cæsarem d^s
Bus, & creata à Paulo V. **Constit. 36. Ex**
credito, Quæ unita cum Somaschis à Paulo
V. **Constit. 97. Ex injunctio** facta est per talen^o
unionem regularis, postea vero dissoluta ab

Tam. VI.

D

eisdem Somaschis, ad primævum statum sacerdotalem redacta est ab Innocentio. X. Et proinde jam status ille sacerdotalis est.

Congregatio Missionis erecta per Vincen-
tium à Paulo virum verè Apostolicum, qui
alta fugiens subsellia solis pauperibus Evange-
lizare voluit, alumnosque suos quantumvis
aliunde doctos, vel Clericis in Seminariis diri-
gendis, vel rusticanis in Missionibus instruen-
dis; occupari præcepit.

CAPUT II.

*De his, que exigit Professio Religiosa. pro ut
est mutua conventio Religiosi cum communi-
tate, & communitate cum Religioso.*

ARTICULUS UNICUS.

*Quid exigatur in novitio profidente, & in com-
munitate acceptante Professionem.*

PROPOSITIO unica. Professio Reli-
gioса, prout est conventio mutua inter
Religious & communiteatem, exigit in vo-
rente habilitatem vovendi, & mutuum con-
sensum in communitate; & in vorente.

Professio est quasi sacer contractus ultrò ci-
trisque obligatorius, quo vovens coram Deo
obligat se communitati, & communitas vo-
venti, ergo sicuti ad contractum civilem re-
quiritur aptitudo ad contrahendum, & insuper
consensus mutuus; quia sine consensu mutuo
non inducitur obligatio, ita in Professione

Religiosa requiritur aptitudo ad votandum,
& consensus mutuus, quo vovens se obligat
communitati, & communitas voventi. Ita
Fagnanus in caput porrectum. De Regulari-
bus. Num. 19.

Consecaria hujus Doctrina.

C O N S E C T A R I U M I. Ex vi juris nat-
uralis Professio est nulla, quoties qui exterius
proficitur, est naturaliter inceptus ad votum,
v. g. caret usu rationis; vi cogitur; &c.
Quia ad votandum requiritur naturaliter ple-
na deliberatio.

C O N S E C T A R I U M II. Ex vi juris com-
munis Ecclesiastici Professio est nulla, quo-
ties vovens ex lege Ecclesiastica non est ap-
tus ad votum solemne, v. g. Non attigit 16.
Annum, non per currit annum integrum No-
vitiatus; ut exigit Trident. sess. 25. De regu-
laribus Cap. 15. Si sint tamen constitutiones
particulares, quæ ætatem majorem exigant:
debent hæ constitutiones observari inquit
Fagnanus.

C O N S E C T. Ex vi juris Civilis Galli-
cani ex edicto Moliniensi art. 57. Professio in
Gallia habetur, ut nulla, si per scripturam
probari non possit, vel per testes oculatos,
quando regista allegantur deperdita. Ita
parte 2a. *Du Journal des Audiences.*

C O N S E C T. IV. Quoties Professio ha-
betur ut nulla aliquo ex prædictis captibns, to-
ties intra quinquennium potest contra eam
reclamari, & judicio Ecclesiastico rescindi:
sicuti Contractus nullus, vel naturaliter, vel

40 MORALIS CHRISTIANA
civiliter, potest per judicem rescindi . . . Quo-
modo fiat illa recisio , vide praxim juris
Gallicani.

C o s e c t. Post transactum quinquen-
nium nullitas Professionis non potest afferri ,
nisi habeatur remedium restitutionis in inte-
grum ; quia terminus quinquennii ad recla-
mandum inductus à Trident. est ad instar præ-
scriptionis , inquit Fagnanus , quæ reddit pos-
sessorem tutum in conscientiâ. Cap. Nullus de-
regularibus.

C A P U T I I I.

*De his , qui juxta forum internum conscientiæ
debent admitti ad Statum Religiosum ,
vel non admitti.*

A R T I C U L U S U N I C U S.

*Quid requiratur in fero interiori , ut aliquis ad-
mittatur ad Statum Religiosum.*

PREPOSITIO unica. Nemo debet ad-
mitti ad Statum Religiosum sine interio-
ri vocatione.

Probatur 1º. Scriptura. *Nolite omni spiritui
credere, sed probate Spiritus , si ex Deo sint.*
Joan. 1º. Cap. 4. v. 1. Ergo non omnes , qui
postulant , debent admitti ad Satum Religio-
sum ; sed hi solum , qui præsumuntur & sibi
& Statui Religioso profuturi.

2º. Ex Clem. 8. *Superiores , inquit , dili-
genter inquirant , quo Spiritu , quâ mente ac*

voluntate id regularis vitæ genus elegerit, quem finem sibi proposuerint: Num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari possint; an potius ex levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur. Ita habetur in Bullario Romano part.

3. p. 128.

Probatur 2º. Ratione. Ad omnem Statum requiritur interna vocatio: ergo & ad Satum Religiosum; illudque examen est necessarium tum quia desideria dilatione crescunt, & frequenti examine mens, & intentio, & aptitudo postulantis magis dignoscitur, tum quia, et si constet, ut ait D. Thomas Statum Religiosum esse cœteris Statibus perfectiorem & rutiorem, tamen potest esse speciale impedimentum, tum mentis, tum corporis, vel aliqua hujusmodi circa quæ debet esse deliberatio.

Consecataria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Illi non censendi sunt vocati ad Satum Religiorum, qui non habent eas, aut mentis, aut corporis dotes, quas exigit Status, ad quem ingressuri sunt; et si enim, ut ait D. Thomas, illi, qui ingrediuntur Religionem, non confidant in suâ virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis divinæ; tamen si sit aliquid speciale impedimentum deliberatione opus est, ut monet idem doctor. 2. 2. q. 189. a 1. Sic exigitur virtus bellica in eo, qui suscipit Religionem institutam ad bellandum pro causa Domini. Exigitur amor erga pauperes in eo, qui ingreditur Religionem destinatam ad famulandum.

Dij

pauperibus. Exigitur amor solitudinis in eo, qui vult amplecti Religionem ad contemplandum destinatam. Exigitur zelus animarum in eo, qui suscipit Religionem destinatam ad prædicandum, & conferendum Sacra menta. Exigitur amor literarum in eo, qui suscipit Religionem, cuius præcipuum munus in aliis edocendis situm est.

C O N S E C T. II. Illi ad statum Religiosum vocati censendi sunt, qui prædicti his dotibus, tum mentis, tum corporis, quas exigit Religio, eam ingredi intendunt, vel ut conservent vitæ sanctitatem, quam perderent in sæculo; vel ut per pœnitentiam recuperent eam, quam perdidérunt, quia in eis est & aptitudo ad Religionem, & pia intentio. Status autem Religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem asequendam 2a. 2a. q. 189. a. 1. Quia ut ait Bernard. homiliā in hæc verba: simile est regnum cœlorum homini negotiatori. In Religione homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequenter, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius præmiatur copiosius: ergo qui habet dotes requisitas ad Religionem, & piam intentionem, vel conservandi gratiam, vel eam recuperandi, ad illum statum potest præsumi vocatus. Ubi tamen observa, quod juxta Isidorum, qui judicantur apti ad Statum Religiosum, debent aliquo tempore in sæculo manere, ibique piis se exercere operibus, & post tres meses cum novitiis admitti, non dimisso habitu seculari, eisdem vacando exercitiis, quibus novitii, & si in propositio perseverent, debent admitti ad novit-

riatum, qui debet durare per annum integrum. quo tempore nihil debet abscondi novitio; & expleto anno novitiatus, si aptus ad Statum Religiosum reperiatur, & animum profitendi habeat, ad Professionem admitti debet. Si sit tamen periculum, ne qui petit recipi, pervertatur in saeculo, poterit promptius ad Noviciatum admitti. Nescit enim, inquit, Ambr. tarda molimina Spiritus Sancti gratia.

CAPUT IV.

Debis, qui juxta forum etiam externum non debent admitti ad statum Religiosum.

ARTICULUS UNICUS.

An qui sunt juris alieni possint recipi in Religione.

PROPOSITIO unica. Qui non sunt sui juris, non possunt admitti ad Statum Religiosum, nisi ex consensu illorum, quibus subjiciuntur.

Probatur 1º. Scripturā. *Magnis studiis caudendum est, ne nomen Domini & Doctrina blasphemetur.* 1a. Ad Tim. 6. v. I. Blasphemaretur autem si ii, qui sunt juris alieni, invitisi Dominis Religiosi fierent. Ut habetur Can. Generalis dist. 54. 9. Ergo qui non sunt juris alieni, non sunt recipiendi in Religione.

2º. Ex Gelasio Epist. 1a. Cap. 16. Veratur eos, qui sunt juris alieni, fieri Religiosos,

*Ne per Christiani nominis institutum , aut aliena
pervadi , aut publica videatur disciplina sub-
verti.*

3°. Ratione. Nemo potest prudenter Deo offerre id , cuius non est Dominus , et si imprudenter offerat , Deus non censetur acceptare : *displacet enim Deo stulta promissio ; sed qui sunt juris alieni non sunt sui Domini ; ergo illi , qui sunt juris alieni non possunt etiam juxta forum externum recipi in Statu Religioso.*

Conseptaria hujus Doctrinae.

*Quia i h̄c subjiciuntur , eisam secundum
forum externum , non debent admitti ad
Statum Religiosum.*

1°. Servi non manu missi ; quia non sunt juris sui , sed Dominorum Can. Generalis querelæ dist. 54. 2°. Hi , qui dederunt nomen militiæ ; quia non sunt sui juris , sed eorum , quibus nomen dederunt quod colligitur ex eodem Canone , ex Canone legem. Dist. 53. 3°. Impuberis ; quia non sunt sui juris , sed parentum ; & quia non habent ætatem à Tridentino requisitam. Si pater , vel mater filium , filiamve impuberem intra septa Monasterii in disciplinam regularem tradat , filius filiave adultior facta dissentire poterit , & ad vitam sæcularem redire. 4°. Conjugati post consummatum matrimonium ; quia non sunt sui juris quoad corpus : nam neuter habet potestatem corporis sui. Mulier sui corporis potestatem non habet , sed vir : similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet , sed mulier. 12. Ad Corin. 7. v. 4. 5°. Episcopi inconsulta se-

DE STATU RELIGIOSO. 45

dis Apostolicæ autoritate ; quia non sunt sui
juiris , sed Ecclesiæ , quam desponsaverunt ;
ut enim docet D. Thomas , voto solemini &
perpetuo obligati sunt ad curam animarum
Vnde Episcopi præsulatum non possunt deferere
quamcumque ex occasione , absque autoritate
Romani Pontificis. 2^a. 2^a. q. 189. Art. 7. Bene
tamen presbiteri , Archidiaconi , & Curati ;
quia non sunt voto perpetuo ligati. Dist. 15. Ibi-
dem & Canon. Duæ sunt leges. 6^o. Parentes
Carnales relictis filiis suis ; quia per se eis con-
venit , ut Filiorum curam habeant , & prop-
ter hoc non licet alicui filios habenti Religio-
nem ingredi prætermissa filiorum curâ , id est
non proviso qualiter educari possunt : dici-
tur enim ia. Ad Timo. Si quis suorum curam
non habet , fidem negavit , & est insideli deter-
rior. 5. v. 8. 7^o. Filii carnales parentibus in ta-
li difficultate , & necessitate existentibus , ut
iis non possit commodè per alios quam per
filios subveniri ; quia iure naturali tunc non sunt
sui juris sed parentum. Parentibus inquit , D. Th.
in necessitate existentibus , ita quod eis commodè
aliter , quam per obsequium filiorum , subveniri
non possit , non licet filiis prætermisso parentum
obsequio Religionem intrare. Bene tamen , si
filii sint extra annos pubertatis , & parentes non
sint in tali necessitate. 2^a. 2^a. q. 189. Art. 6.
8^o. Qui sunt ære alieno vel publico , vel pri-
vato obstricti , non possunt Religionem ingre-
di , Nisi prius , quantum in ipsis est , satisfa-
cere studuerint , vel cedendo bonis suis in gratiam
creditorum , vel aliter solutionem procurando. D.
Thomas ibidem ad 3^m. Quia tamen secun-
dum jura Civilia persona hominis non semper

lares, tam viri, quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscripum, vitam instituant, & componant.

3°. Ratione. Religiosus potest considerari.
1°. Quatenus baptisatus; & ut talis, tenetur virtutibus Christianis nitid ad perfectionem. 2°. Quatenus ligatus votis; & ut talis tenetur vota, quæ elicit, observare. 3°. Quatenus membrum talis communictatis; & sub hac consideratione tenetur ad regulas suæ communictatis mores componere. Et ita, inquit. D. Thom ibidem, *Non tenetur ad omnia exercitias, quibus ad perfectionem pervenitur; sed ad illa, quæ determinatè sunt taxata secundum regulam, quam professus est.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Religiosus peccat gravius, quam cæteri Christiani, quoties lædit virtutes Christianas; quia tenetur perfectioni insistere ardentius, quam alii Christiani.

CONSEC. II. Peccat peccato Sacrilegii, quoties agit contra vota; quia violatio voti est sacrilegium.

CONSEC. III. Peccat peccato inobedientiæ, quoties agit contra regulas sui ordinis, si regulæ obligent sub peccato.

CONSEC. IV. Peccat peccato mortali, quoties cum contemptu vel scandalo agit contra regulam obligantem sub peccato; quia contemptus legis & scandalum faciunt peccatum mortale.

CONSEC. V. Quoties peccant, cæteris paribus, gravius peccat, quam reliqui si-

obligatur pro debita pecunia, si non esset scandalum, cedendo bonis suis posset Religionem intrare : Dr. Thom. Ibidem.

C A P U T V.

De his quibus erga Deum obligatur Religiosus vi sua professionis, quatenus est consecratio sui Deo.

ARTICULUS UNICUS.

Quæ requiratur perfectio à Religioso.

PROPOSITIO unica. Religiosus vi sua professionis tenetur, non quidem esse perfectus, sed tendere ad perfectionem. 1º. Per media essentialiter ad hoc requisita, scilicet per exercitium virtutum Theologicarum & Cardinalium; 2º. Per observantiam votorum; 3º. Per exercitia spiritualia in suo ordine prescripta; non quod teneatur singula hæc pia opera exercere, sed quod nullum liceat ei contemnere.

Probatur 1º. Scripturâ. *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in cœlo; & veni, sequere me.* Math. 19. v. 21. Sequimur autem Christum tentando ad perfectionem.

2º. Ex D. Thoma. *Religiosus non est transgressor professionis, si non sic perfectus, sed solum, si contemnat ad perfectionem tendere.* 2. z. q. 186. art. 2. Unde Tridentinum, sessi. 25. Cap. 1. De reform. præcipit, ut omnes regu-

48 MORALIS CHRISTIANA.
deles; quia circumstantia personæ Deo consacratae aggravat peccatum.

CONSBC. VI. Quoties peccat, si negligat pœnitere, longè periculosis peccat, quam alii Christiani: peccat verò minus periculosè, si festinet pœnitere. De hoc ita Origenes homilia: 9. in Psal. 36. *Injustus, si peccaverit, non pœnitet, & peccatum suum emendare nescit: justus autem scit emendare, scit corriger; etenim in Religione iuvatur sociis ad corrigendum; si unus ceciderit, ab altero fultur. Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Eccles. 4.*

CAPUT SEXTUM.

De his, quæ Religiosus debet communitati, & communitas Religioso, vi suæ professionis, quatenus est conventio cum communitate.

ARTICULUS UNICUS.

*De Mutua inter Religiosum, & communite-
tem inseparabilitate?*

PROPOSITIO Unica. Religiosus post Professionem non potest sine causâ dimittere communitatem, nec communitas Religiosum.

Probatur Ratione. Professio Religiosa est quasi quidam contractus ultròscitòque obligatorius, initus inter professum & communitatem ergo utrinque servanda est æqualitas, sci-dicet, ut communitas det se professo, & pro-fessus

DE STATU RELIGIOSI. 49
fessus det se communitati. Nisi aliter
Conventum esset.

Consuetaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Professus à die professionis manet ita obstrictus communitati, ut totus sit communitatis; & communitas ita obstricta est professo, ut quidquid habet, cedere debeat in bonum professorum; sicut bonum corporis cedit in bonum membrorum.

CONSECT. II. Professus sine superioris licentiâ nequit obsequio alterius se subjicere, nec à conventu recedere: *Quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio superioris puniatur: nec liceat regularibus à suis conventibus recedere, etiam pretextu ad suos superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint.* Trident. ss. 25. Cap. 4. De regularibus.

CONSECTARIUM III. Professus ob nullum commodum temporale sibi obvenientium potest communitatem deserere, nec communitas ob aliquod commodum temporale professum dimittere; manet enim obligatio utrinque solvenda. Sic professus non potest communitatem deserere, ut alibi aliquid sibi lucretur, aut lautiùs vivat; nec communitas religiosum ejicere; quia est infirmus, onerosus, &c.

PROPOSITIO 22. Professus, & communitas possunt mutuam obligationem rescindere ob causas, quæ salutem æternam respiciant.

Probatur ratione. Salus æterna est suprema lex: Ergo, quoties salus æterna cum reli-

Tome VI.

E

50 MORALIS CHRISTIANA;
giosi , tum aliorum membrorum communita-
tis id exiget , rescindi poterit mutua religiosi
& communitatatis obligatio.

Consecataria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Professus potest ab uno ordine ad aliud transire ex causâ piâ ; quia tunc , ut supponitur , agit ob causas , quæ salutem æternam respiciunt , sic potest transire ad aliud statum , 1º. Ex zelo perfectioris status. . . . Sed in praxi cavendum , an reverâ ordo , ad quem fit transitus ; fit stricior : *Nemo etiam regularis à cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem* . inquir , Trid. Sess. 25. Cap. 19. De reform. Regul. 2º. Ex amore perfectionis promissæ , quæ incipit in suscepso statu tepeſcere : *Laudabiliter transit aliquis ad Religionem etiam minorem , si melius obſervetur. Sic Abbas Joannes à vita Eremiticâ , quæ incipiebat tepeſcere , transit ad vitam Cœnobiticam.* D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. 3º. Propter infirmitatem & debilitatem corporalem , *Ex quâ interdum provenit , quod aliquis arctioris Religionis statuta servare non potest ; potest autem servare statuta laxioris.* D. Thomas ibidem in primo casu debet peti licentia ex humilitate ; in secundo ex necessitate ; in tertio necessaria est dispensatio. D. Thomas ibidem.

C O N S E C T A R I U M II. Communitas potest ejectionem professi petere coram judice , quando est necessaria ad salutem aliorum ; quia tunc agit ex causa , quæ salutem respicit , & sic potest eam petere in sequentibus casibus.

1º. Si ex consortio professi timor sit , ne alii corrumptantur ; Quandoquidem *Apostolus* velit , ut auferatur malum de communitatibus nostris , ne modicum fermentum totam massam corruptat . Iustum est , ut abscondamus , ac ejiciamus Monachum incorrigibilem , ac insolentem . D. Thomas quodlib. 12. q. Ultimā. 2º. Si ex rebellione opponat sese incremento statū religiosi juxta Fagnanum , debet à fratribus consortio excludi . 3º. Si sit verè incorrigibilis juxta Urbanum octavum , postquam unius anni spatio in jejunio & pœnitentiâ probatus fuerit in carcerebus , ne contagione pestiferâ plurimos perdat , poterit tandem ejici ab ipso generali tamum , ex Consilio & assensu sex Patrum ex gravioribus instrueto processu , juxta Canonum præscriptum . Tamen Renatus Choppinus docet in suo Monastico lib. 1. titulo 3. Quod vix in Gallia permittitur hæc explulsio , & Episcopi ejjectos ad sacra Officia non admittunt , nisi assignetur titulus , unde vivere possit religiosus ejactus , si Sacerdos fuerit . Vide Wanepen 12. Parte titulo 27. Cap. 7. & Fagnanum in Cap. Ne religiosi .



CAPUT VII.

De his, ad quæ obligatur Religiosus vi votorum.

ARTICULUS I.

De his, ad quæ obligatur Religiosus vi votis paupertatis.

Ia. PROPOSITIO. Utum paupertatis elicitum in communitate importat rerum omnium temporalium abdicationem, 1^o. Quoad proprietatem; 2^o. Quoad usum-fructum; 3^o. Quoad usum absolutum & independentem; adeo ut proprietas, & usus-fructus sint penes solam communitatem; usus vero concedi debeat à superiore juxta privatam cuiuslibet necessitatem, & indigentiam.

Probatur 1^o. Ex Scripturâ. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Math. 19. v. 21. Ergo sicut ille, qui vendidit Patrimonium suum, deditque illius pretium pauperibus, spoliatus est, & patrimonio, & ejus pretio, neutroque potest uti, nisi de licentia eorum, in quos translatum est dominium bonorum venditorum: ita & qui vovit paupertatem, spoliatur bonis omnibus temporalibus, & ea Deo offert, nec illis utendi facultatem retinet; sed eam accipit à superiore gerente vices Dei.

2^o. Ex patribus. 1^o. Ex Basil. Si quis Religiosus n̄ liquid proprium sibi esse dicit, absque dubio alie-

rum se facit ab electis Dei. Ita in serm. I. De institutione Monachorum. 2°. Ex Aug. de Reg Cap. I. Non dicatis aliquid proprium; sed sine vobis omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum a preposito vestro vittus, & regumentum. 3°. Ex Benedicto, Cap. 33. Reg Ne quis presumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium; sed nihil omnino.

3°. Ratione. Religiosi professi tenentur ex vi voti paupertatis ad ea, quæ observabant Christiani Jerusalem; quia juxta patres & Doctores isti fuerunt exemplar Religiosorum. Atqui Christiani Jerusalem ita intellexerunt Consilium Evangelicum; Et enim vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponabant ante pedes Apostolorum; en bonorum temporalium abdicatio, & translatio in Apostolos. Et erant illis omnia communia; en bonorum illorum communio & confusio. Dividebant singulis, prout cuique opus erat; en concessio solius usus facta a superioribus, juxta cuiuscumque necessitatem. Neque enim quisque egens erat inter illos; en perfecta aequalitas inter eos, qui in communitate paupertatem voverunt. Act. 4. v. 34.

Consecularia hujus Doctrina.

CONSECTARIUM I. Qui voverunt paupertatem in aliquâ communitate, non possunt ullius rei temporalis proprietatem habere; quia per votum eam abdicarunt, & ita non possunt, quæ hic subjiciuntur.

I. Non possunt bona immobilia, cuiuscumque
E iiij

sint qualitatis, quasi propria retinere, v. g. Agros, vineas, domos. Ita Trident. ss. 25 Cap. 2. De reform. Regul. 2°. Non possunt bona mobilia quasi propria habere, v. g. Suppelletilia, pecuniam, census, proventus, Eleemosinam. Ita Clemens 8. In Constitu. quæ incipit Nullus omnino. 3°. Non possunt bona temporalia quovis modo acquisita quasi propria habere. Ita Clemens. 8. Sive ex lectionibus, sive promissis, tam in propriâ Ecclesiâ, quam ubicumque celebrandis, alioque ipsorum justo labore, & causâ quocumque modo acquisita. Ita Clemens. 8. Ibidem. 4°. Non possunt retinere ea, quæ eis gratis donantur, etiam si fuerint subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, aut donationes. Clemens. 8. Ibidem. 5. Non possunt retinere quasi proprium aliquid ad vestiendum se necessarium. Si quispiam aliquam vestem conulerit, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate præposui, & in communem rem redactum, cui necessarium fuerit præbeatur, inquit, Aug. Cap. 8. de Reg. ad servos Dei. 6°. Non possunt reservare pensiones vitalicias quolibet anno sibi persolvendas, quarum Dominium possideant. Concil. Melchiniense Titul. de Regul. Cap. 1. Pensiones vitales, aut redditus perpetuos nulli regulares permittantur recipere. 7°. Non possunt recipere à Superioribus certam pecuniarum summam, ut sibi victum, vestitumve procurent; sed victum, vestitumque debent in specie à communitate recipere. Ita Concil. Audoromense tit. 17. Cap. 16. Victus & vestitus, cæteraque vitae necessaria aequaliter omnibus pro cuiuscumque

necessitate, & Monasterii facultate placidè , ac benignè ex communi Monasterii Thesauro , ac penu subministrantur , non pecunia estima tā , aut compensata ; sed ipsi rerum speciebus præsenzi ; id enim in virtute sanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus . 8°. Non possunt bona temporalia , qualiacumque sint , materiam contractuum facere , v. g. dare , vendere quia qui contrahit v. g. dat , vendit , debet habere Dominium rei , quam dat , aut vendit . 9°. Non possunt reservare sibi certa quædam peculia quamvis exigua , quorum proprietas sit penè ipsos : Ne Monachi peculium permittantur habere , quod si Monachus peculium habuerit , à Communione removeatur altaris ; & qui in extremis cum peculio inventus fuerit , & dignè non pænituerit , nec oblatio pro eo fiat , nec inter fratres recipiat sepulturam . Concil. Later. cap. Monach de Statu Monach. 10. Non possunt bona Monasterii , à fortiori bona externa , in privatum sui commodum administrare : Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alscui regulari concedere , etiam ad usum fructum ; vel administrationem , vel commendam , inquit Trident : ubi supra . 11°. Quæcumque accipiunt , vel ex dono , vel ex mercede , vel alio quocumque titulo , tenentur conventui incorporare , & in communem usum convertere ; ita ut post incorporationem omnes indifferenter his bonis ubi possint juxta beneplacitum Superioris . Statim ea superiori tradantur , & conventui incorporentur , inquit Trident . ibidem . Caveant , ne quid pecuniae , aut alterius rei , sibi ita retineant ; ut communitat i nolint esse commune , inquit Concil. Cazmracense cap. 9. an. 1565.

56. MORALIS CHRISTIANA.

CONSECTARIUM II. Qui voverunt paupertatem in aliquâ communitate , non possunt habere usum-fructum alicujus rei frugiferæ ; quia haberent illius fructus proprietatem , cui tamen renunciarunt ; & sic non possunt , quæ hic subjiciuntur. 1º. Non possunt habere usum fructum fundi alicujus ; quia hoc arguit proprietatem de quo ita Sylvest. Verbo Religio. Non autem habet religiosus rei usufructum , id est , jus utendi , & fruendi salvâ rei substantiâ , ut scilicet ultra suam necessitatem possit de residuo donare etiam Eleemosinuliter , etiam si esset de bonis paternis ; quia omnia sunt Monasterii , nisi habeat licentiam dandi , & tunc bene utatur , alias peccat , & tenetur restituere Monasterio , recipiens ex turpi causâ , & similiter qui ex dono , quando scilicet dans non habet licentiam , vel ipse indigentiam. 11º. Si usus fructus concedatur à Superiori , potest superior illum , quando libuerit , auferre. Ita Sylvester ibidem. Si aliquis ususfructus Monacho relinquatur , Abbas potest illum auferre , prout notatur in authenticâ. Cap. de Sacrosanctis Ecclesiis , & cap. 2. De statu Monachorum.

CONSECTARIUM III. Qui vovit paupertatem in aliquâ communitate , non potest habere usum absolutum rei temporalis ; quia usus absolutus & independens importat proprietatem , cui per votum paupertatis renuntiatur ; & ita Religiosus non potest habere usum absolutum , & independentem à nute superioris ; quia ille usus independens denotat proprietatem. Ne eorum , quæ ad necessitatem concessa erunt , ultius quidquam possideat ut proprium , neque ut proprio *utrumque* , inquit Trident. ibidem.

MONITUM. Dixi bonorum temporalium abdicationem voto paupertatis importari; quia Religiosus retinet bonorum spiritualium Dominum. De hoc ita D.Thomas 2. 2. q. 176. a. 7. ad 4. Honori, qui Deo & sanctis exhibetur propter virtutem.... Non competit Religiosis abrenuntiare; quia ad perfectionem virtutis tendunt..., honori autem, qui exhibetur exteriori excellentiae, abrenuntiant ex hoc ipso, quod secularis vitam relinquunt. Etenim ut ait Aug. de Serm. Domini Lib. 1. n. 13. Intelliguntur pauperes spiritu humiles & timentes.

PROPOSITIO II. Votum paupertatis elicatum in communitate exigit, ut ligatus voto ita moderatum observet bonorum temporalium usum, ut ab omni superfluo abstineat; ab utili, & commodo temperet; ut paratus sit interdum aliquam penuriam pati.

Probatur 1º. Scripturâ. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1a. ad Timo 6. v. 8... Et rursus: *Esurimus & sitiimus.*

2º. Concilio Trid. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supplex statui paupertatis, quam profissi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod necessarium sit, eis denegetur. Trident. ibidem.

3º. Ratione. Votum paupertatis in eo situm est, ut Christum pauperem imitemur. De Christo autem dicitur: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Psal 87. v. 16. Propter vos egenus factus est cum esset dives. 2. Cor. 8. v. 9. Ergo sicuti Christus natus est pauper, vixit pauper, mortuus est pauper; ita à die professionis Religiosus deberet absque curis divitiarum earumque splendore & com-

modis vivere; satis & abundè dives erit si Christum sequatur pauperem; quippe, ut ait David Psalm. 22. v. 1. *Dominus regit me & nihil mihi deerit*, etenim ut ait Salvianus. *Providentia Dei est parimonium pauperum*; & ut ait Cyprianus, *Paupertas non habet laculos rerum plenos*, sed sic abundat, ut universum parvum pendat.

Consectaria bujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Ligati voto paupertatis non possunt uti superflui aliquam vanitatem præferentibus, sive in vestibus, sive in supellestili: *Superfluitatem vestium, & in honestatem deserant.* Ut Eugenius 3us. ait in Concil. Rom. cap. 4. *Competit religioso vilitas vestium; quia Religio est status pœnitentiae, & contemptus vanæ gloriae.* inquit D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 6. ad ium. contra hos Monachos, ita insurgit Bernardus: *Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam & clamydem . . . queritur ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius inuenitur; non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat . . . habitus, qui solebat esse in signo humilitatis, à Monachis nostri temporis gestatur in signum superbie.* *Apologia contra Guillelmum Abbatem.* Superfluitatem & vanitatem supellestilium, sic rider Bernardus ibidem: *Putas-ne, loquens de Christianis Jerusalem, putas-ne, inquam, cuiuspiam ibi lectuli opertorum cassinum, aut discolor Barricanus operiebat. . . . non illic arbitror valde curiam fuisse de prelio, de colore, de cultu.*

CONSECTARIUM II. Ligati voto paupertatis non possunt uti superfluis , quæ inseruant ad pompam , & delicias periculosas. Sic stipatum Monachorum sui temporis infectatur Bernardus ibidem : *Dicas , si videoas transseuntes , non patres esse Monasteriorum , sed Dominos Castellorum ; non rectores animarum , sed Principes Provinciarum.*

CONSEC. III. Ligati voto paupertatis non possunt uti superfluis , quæ incitent ad peccandum ; quia id vetitum est omnibus fidelibus , à fortiori Religiosis.

CONSEC. IV. Ligati voto paupertatis debent interdum in aliquo penuriam pati : *Fædum est profanumque mendacium summae paupertatis Professorem se afferere , & rerum penuriam pati nosse.* D. Bonaventura Epist. 1a. ad Provin. Illi enim longè à paupertatis scopo aberrant , qui voluntariam paupertatem in nudâ paupertatis professione constituunt , non in molestiis , & incommodis , quæ ex pauperate nascuntur.

CONSEC. V. Voluntas deliberata habendi aliquid pretio æstimabile tamquam *proprium* est peccatum mortale ; Sicut enim iis qui castitatem voverunt non solum nubere ; sed etiam *velle* nubere prohibitum est Can. *voventibus* dist. 26. Ita paupertatem professis non solum habere *proprium* ; sed etiam *velle* interdictum est, undè Benedictus in Regula cap. 32. *Vult vitium proprietatis radicitus esse amputandum.* Ita ut professus paupertatem nec intentione , nec voluntate , nec affectu aliquid pretio æstimabile possideat. Nihil enim proderit pecunias non habere , si voluntas possi-

dendi interius natriatur ; quippe ut ait Aug. Non attendit Deus facultatem , sed cupiditatem. in Psal. 84. Qui enim paupertatem vovimus audiamus Amb. in Lucam. cap. 3. v. 9 Relinquamus umbram , qui solem querimus , deseramus fumum qui Lucem sequimur. Id est longè à nobis omnem rerum perituratum affectionem amoveamus. Non enim , ut monet Bern. Paupertas virtus reputatur ; sed paupertatis amor. Et apud Christum beati sunt Pauperes , non re , sed spiritu seu affectu. & optimè præmonet Aug. explicando hæc verba , Beatum dixerunt populum , cui hæc sunt scilicet bona temporalia. O loquentes vanitatem , o vani loqui , o filii alieni ? Quid tu Corpus Christi , quid vos membra Christi , quid dicitis. Beatus Paulus cuius Dominus Deus ejus. In Psal. 143. n. 19. Sufficiat nobis , inquit Tobias. Paupertas nostra Cap. 5. v. 25. sufficiat nobis Deus. Major est Deus corde nostro. 12. Joan. Cap. 3. v. 20.

ARTICULUS II.

De his , que non repugnat voto paupertatis Religiosæ

PROPOSITIO I. De possessione bonorum in communi Non repugnat voto paupertatis religiosæ , quod Religiosi habeant bona mobilia , vel immobilia in communi.

Probatur 1^o. Exemplo Christi & Apostolorum ; nam Christus *Loculos habebat* , & Judas ea , quæ mittebantur , portabat. Joan. 12. v. 6. tursus Joan. 4. v. 8. dicitur : *Discipuli enim ejus*

DE STATU RELIGIOSO. 62

*I*esus abierant in civitatem , ut cibos emerent . Apostoli verò habebant pretium bonorum venditorum , & dividebatur singulis , pra ue cuique opus erat . Actuum 4 . v . 35.

2º. Ex Concilio Tridenti . Concedit sancta Synodus omnibus Monasteriis , & domibus tam virorum , quam mulierum , & mendicantium , exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci , Capucinorum , & eorum qui Minorum de observantia vocantur Ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat . sess . 25 . Cap . 3 . de regulatibus .

3º. Ratione . Illa solum proprietas Religiosis interdicitur , quæ præcludit viam ad perfectionem ; quia Religio est tendentia ad perfectionem : habere autem bona in communi non præcludit viam ad perfectionem , quæ sita est in exercitio charitatis ; quin imo viam illam aliquibus aperit , præbens ansam facilius perveniendi ad scopum intentum à cœtu Religioso . . . Sic Religiosi militantes & Hospitalarii debent habere abundantes dvitias ; ut data occasione bellum contra Ecclesiarum hostes facilius gerant , & Eleemosinas copiosius distribuant . Sic Religiosi , qui vacant Verbo divino prædicando , & Sacramentis ministrandis , debent habere bona in communi , ut facilius vacent factio huic officio . Sic Religiosi , qui vacant contemplationi , uti Cartusiani possunt habere bona immobilia .

Consecaria hujus Doctrinae :

C O N S E C T . I . Omnes ordines ; excepti
Tom . VI .

ris Capucinis & Minoribus , possunt habere bona in communi , potestque possessio illa in communi coalescere , vel ex manuali opere Monachorum , ut olim siebat in Monasteriis , in quibus Monachi labore manuum suarum vivebant ; vel ex donis fidelium , ut factum in ordine D. Benedicti , & D. Bernardi ; vel etiam ex successione hereditariâ , quæ potest cuilibet Monacho contingere ; nam licitum olim erat Monachis succedere ; jam verò , neque in Belgio , neque in Gallia possunt succedere. Undequaque tamen veniat bonorum immobilium possessio , necessaria est amortizatio , idest diploma Regium , quo permittatur Religioso statui bona immobilia acquirere & possidere.

C O N S E C R. II. Religiosi , qui possident bona temporalia in communi debent ea possidere , non ut otium soveant , luxumque secuntur , nam ut ait Bernar. de Offic. Episc. *Labor & tenebrae , & voluntaria paupertas ,* hac sunt Monachorum insignia , sed bona temporalia in communi possident ; ut curis sacerdibus vacui , liberiū Deo serviant. Ita fecit Christus , qui iter faciebat per civitates & castella prædicans & Evangelisans regnum Dei , & duodecim cum illo . . . Et mulieres aliquæ . . . Ministrabant ei facultibus suis. Luc 8. v. 1. & 2. Ita fecerunt Apostoli circumducentes fratres , quæ ministrabant eis necessaria , Ia. Ad Corinth. 9. v. 5. Ita & factum est tempore Constantini , qui teste Theodoreto , litteras dedit ad Provinciarum præfectos , quibus mandavit , Ut certus frumenti numerus viduis , & iis , quæ perpetuam servant Virginita-

tem quin & illis qui divinis Ministeriis obeundis consecrati sunt in singulis civitatibus, quotannis supeditaretur.

P R O P O S I T I O I I. De possessione pensionum, & peculiorum. Juxta Fagnianum, Christianum Lupum, &c. Nulli Religioso, Monialive solemniter Professis licet habere peculum, pensionemve vitalitam, etiam cum licentiâ Superiorum; sed quidquid habet Religiosus, Monialisve debet Conventui incorporari.

Probatur hæc sententia. 1º. Ex Concil. Tridentino; loquens enim de bonis mobilibus & immobillbus ait: *Statim ea Superiori tradantur, conventuque incorporenur.* 2º. Quia magis nocet Religioso habere usum peculii sine proprietate Civili, quam habere proprietatem sine usu; sicuti furioso magis nocet habere usum Culicelli sine proprietate, quam proprietatem sine usu, inquit Diony. Carthu. de reformatione claustralî. Cap. 16.

Juxta Navarrum, Silvestrum, Lagonam, licet Religioso Monialive solemniter Professis habere peculum, pensionemve vitalitiam, modò his bonis non utantur, nisi in honestos usus, & cum facultate Superioris, & relinquant liberam suo Superiori prædictorum bonorum dispositionem.

Probatur hæc sententia. 1º. Ex Concilio Lateranensi sub Innoc. III. Cap. 1º. Qui vero peculum habuerit, inquit Synodus, nisi ab Abbe ei fuerit pro injunctâ administratione permisum, à communione removeatur: ergo, inquiunt, si Abbas permittat, licitum erit habere peculum. Et Rota decisione 772. ait,

§4 MORALIS CHRISTIANA.

non repugnat voto paupertatis habere peculium ex permisso superiorum.

2º. Ratione. Proprietas, inquit, in eo sita est, ut proprietarius possit uti re, quam habet arbitratu suo: ergo cum in nostro casu Religiosus non utatur peculio, nisi dependens a superiore, non videtur proprietarius.

Consecaria hujus duplicitis sententia.

C O N S E C T. I. Quando Monasterium est opulentum, & Superiores possunt commodè necessitatibus inferiorum providere, non debent permitte, neque pensiones vitalitiae, neque peculia; quia tunc, vel pensio vitalitia & peculium cedunt in bonum communitatis, vel in commodum privatum Religiosi. Si cedant in bonum communitatis, magis nocent, quam proficiunt; quia ut optimè ait Salvianus, *Nimia profusione opus non sufficitur Religio, sed evertitur.* Lib. 2. Ad Eccles. Cathol. Si vero cedant in commodum privatum Religiosi, tunc pax extinguitur, inquit Gregorius lib. 22. Epist. 22. *Vbi peculiaritas à Monachis habetur; neque concordia, neque caritas in Congregatione eadem poterit permanere.*

C O N S E C T. II. Quando Monasterium est tenue, nec potest commodè necessitatibus Religiosorum providere, tunc superiores possunt permettere, ut inferiores habeant pensiones vitalitias, aut peculia, quibus suppletantur necessaria, quæ Monasterium suppeditare non potest, v. g. Remedia peculiaria quæ Monasterium non tribuit; hoc enim jus na-

varale permittit, nec illud prohibet Fagnianus. Cæterum, inquit, communem penuriam ab omnibus perpetiendam, usque adeò si quid alicui delatum; vel ab ipso partum fuerit; id tunc ad superiorem rectâ deferri oporteat, qui ex eo primò succurrat ejus necessitatî, cuius intuitu illud obvenerit, si peculiari aliquâ necessitate ultra communem prematur; reliquum conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem. Incipit Monachi numero 15.

CONSECTARIUM III. Quando pensiones vitalitiae, aut peculia permittuntur, ea adhibenda est cautio, ut inferior plenam relinquat superiori prædicti peculii dispositiōnem, superior verò ita moderatum permittat suo inferiori illius peculii usum ut ne dum superflua, & curiosa interdicat, sed etiam ad tolerandam in aliquibus penuriam adhortetur; ut Christi, & Apostolorum, & antiquorum Monachorum paupertatem imiteretur: Christus enim dicit de se ipso *Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Luc. 9. v. 58. Apostolis verò dictum est: *No-lite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris.* Math. 10. v. 9. Antiquis verò Monachis divitias ambientibus ita scribit Hieronimus. *Nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur.* Epist. 13. *Habens viictum, & vestium, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* Epist. 22.

ARTICULUS III,

De his, ad quæ obligatur Religiosus vi voti castitatis.

PROPOSITIO unica. Religiosus vi voti castitatis obligatur se abstinere ab omni voluntariâ delectatione venereâ, internâ & externâ; proindeque si peccet contra castitatem, duo peccata committit, alterum luxuriæ contra castitatem, alterum Sacrilegiū contra votum: vel quod idem est committit luxuriem, quæ est sacrilegium.

Probatur 1°. Scripturâ. Adolescentiores autem viduas devita; cum enim luxuriata fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt. 12. Ad Timoth. 5. v. 11. Ubi Paulus juxta Aug. lib. de adulterinis conjugiis Cap. 24. Loquitur de his; qui continentiam voverunt, & dicit, quod fidem Deo datam violarunt, quod pertinet ad sacrilegium.

2°. Ex D. Thoma 2a. 2a. q. 154. Art. X. Ad 3um. Sacrilegium committitur in re sacrata: res autem sacrata est, vel persona consecrata, quæ concupiscitur ad conchitum; & sic pertinet ad luxuriam: vel concupiscitur ad possidendum; & sic pertinet ad injustitiam. Potest etiam ad iram pertinere sacrilegium; putâ si aliquis ex ira injuriam inferat persone sacra; vel si gulosè cibum sacrum assumat, sacrilegium committit: specialius autem sacrilegium attribuitur luxuriæ, quæ opponitur castitati, ad cuius observantiam aliqua persona specialiter conseruantur.

3^o. Ratione. Actus unius virtutis , vel vitiū ordinatus ad finem alterius , assumit speciem illius ; sicut furtum , quod propter adulterium committitur , transit in speciem adulterii. Manifestum est autem , quod observatio castitatis , secundum quod ordinatur ad cultum Dei , sit actus Religionis , ut patet in illis , qui vovent , & servant castitatem , ut patet per Aug. lib. de Virginitate Cap. 8. Unde manifestum est , quod etiam luxuria , secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens , pertinet ad speciem sacrilegii. Ita D. Thomas Ibidem in corpore,

Consecataria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Religiosus toties sacrilegium committit , quoties violat castitatem ; sive violet mente per cogitationes morosas ; sive verbis per verba obscena ; sive oculis per aspectus libidinosos ; sive tactibus per contactus impudicos : quia ut ait Aug. de Civit. Dei lib. 15. Cap. 16. *Si iniquum est aviditate possidendi transgredi limitem agrorum ; quanto est iniquius libidine concubandi transgredi limitem morum ; Sed transgredi limitem agrorum in rebus sacris est peccatum sacrilegii :* ergo pati ratione subvertere limitem morum libidine concubandi in rebus sacris , facit sacrilegii vitium.

C O N S E C T A R I U M II. Totuplex committit sacrilegium specie diversum , quotuplex concurrit cum diversis luxuriaz speciebus ; quia cum sacrilegium sit species luxuriaz , diversum sit juxta diversitatem luxuriaz.

Sic si aliquis abutatur personā conjunctā sibi secundum spiritualem cognationem , committit sacrilegium ad modum incestus... Si autem abutatur Virgine Deo sacra , in quantum est sponsa Christi , est sacrilegium per modum adulterii . In quantum vero est sub spiritualis Patris curā constituta , erit quoddam spirituale stuprum ; & si violentia inseratur , erit spiritualis raptus . De Thom. Ibidem ad. 2.

CONSECTARIUM III. In Confessione omnes illæ deformitates sunt necessariò explicandæ ; quia sunt circumstantiæ non solum aggravantes , sed etiam speciem variantes , quæ juxta Tridentinum debent necessariò in Confessione explicari .

CONSECTARIUM III. Qui castitatem voverunt debent ad instar infantium omnem ignorare libidinem etenim juxta Cyprianum Virginitas est sancta pueritia , cum tempore non senescens , quæque nullâ annorum injuria formam amictuit , nec innocentiam , lib. 1. De bono pudicitiæ . Castitas autem juxta Bernar. Quintus partita est , videlicet in ore , in oculis , in auribus , in odoratu , in gustu , in tactu . Sent. num. 318. Ult. edit. In oculis quidem , juxta illud Psal. 118. v. 37. Averie oculos meos , ne videam vanitatem . In verbis juxta illud Pauli ad Eph. 5. v. 3. Fornicatio nec nominetur in vobis , sicut decet Sanctos . In auribus quævis fuit Lot de quo ait Petrus. 2. Ep. 2. v. 8. Aspectu & auditu justus erat . Odoratu autem gustu & tactu cum omnia refugimus eorum sensuum objecta quæ castitatem quam vovimus possent labefactare ut juxta Paulum sciat quisque nostrum vas suum possidere in sancto

tificatione & honore i. Thesal. 4. v. 4. Quippe ut monet Bern. Tenet Castitas in sanctificationem & instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur. De motib. & off. Episco. num. 8.

CONSEC. IV. Qui castitatem voverunt oportet ut sint casti, non solum corpore, sed etiam mente. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt inquit Christus Math. 5. v. Te ipsum castum custodi; inquit Paul. ad Tim. I. Cap. 5. v. 22. & Cap. 2. cum præmonueras ut fierent orationes pro omnibus in omnipietate & castitate quid enim nobis proderit corpus abstinentia à libidine, si in nobis sit Cor fornicans & recedens à Deo ut exprobaret Ezechiel. 6. v. 9. Quia virgo, si corpore integra, & mente corrupta. Aug. psal. 56.

CONSECTARIUM V. Qui castitatem voverunt debent omnium luxuriarum aditum præcludere, ad omnem carnis temptationem vehementer pavere, omnemque libidinis motum in ipso temptationis primordio reprimere; id innuit scriptura dicens. *Omni custodi& serva cor tuum* est enim cor nostrum ut docet Paulus templum Spiritus Sancti, cuius custos est pudicitia ut docet Tertul. De pudic. Templi istius, inquit, *auditua & Sacerdos pudicitia*; ideo omnes motus contra pudicitiam initio reprimendi sunt ut docet Aug. in Ps. 156. *Parvuli Babilonis nascentes male cupiditates...* Cum parvula est mala cupiditas nequaquam prævæ consuetudinis robur accipiat, cum parvula est elide illam Vide alia remedia contra luxuriam infra de castitate Clericorum,

ARTICULUS IV.

*De his, quibus obligatur Religiosus vi veri
obedientie.*

PROPOSITIO unica. Quando legitimus superior præcipit aliquid in virtute Sanctæ obedientiæ, Religiosus professus tenetur sub peccato sacrilegii obedire legitimo superiori in his omnibus, quæ sunt secundum regulam, minimè vero in his, quæ sunt contra regulam.

Probatur 1º. Ex Scripturâ. *Obediue præpositis vestris, & subjecete eis : Ergo Religiosus ex vi voti tenetur obedire præpositis suis.*

2º Ex Hieroni. Epist. 22. Ad Eustach. Prima apud eos, id est Religiosos, confederatio esti obidire, majoribus, & quidquid iussent facere. Et Severus Sulpitius loquens de statu Religioso : *Præcipua ibi virtus, & prima, est obedientia.* Dialog. 1. Cap. II.

3º Ratione. Sicuti per paupertatem assimilamur Christo panperi, ita per obedientiam assimilamur Christo obedienti, de quo dicitur : *Fatidus est obediens usque ad mortem : Ergo sicuti ex vi voti paupertatis Religiosus tenetur imitari Christum pauperem ; ita ex vi voti obedientiæ tenetur imitari Christum obedientem ; & proinde obedire in his omnibus, quæ sunt secundum regulam, minimè vero in his, quæ sunt contra regulam.*

etiam sedis suae. In his quæ sunt contra legem Dei, de quo ita Apostoli : *Satius est obediere Deo, quam hominibus.* 2°. In his, quæ sunt contra vota, de quo ita Bernardus Epist.

7. Ergo Abbatii per omnia obediendum est, sed salva professione. Et rursus : Liberè recusabo hujusmodi obedientiom, quæ me transgressorum voti proprii constituit, & pejerare facit nomen Dei mei. Lib. de dispens. & præcep. 3°. In his, quæ sunt contra regulam, in quibus superior pro majori bono non potest dispensare, nec in his, quæ sunt extra regulam sine necessitate. De quo ita Bernardus libro de dispens. & Præcep. Cap. 4 & 5. *Prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultrâ extendi potest, nec ultrâ contrahitur; nihil me prohibeat horum, quæ promisi; nec plus exigat, quam promisi; vota mea non augeat Sine mea voluntate, nec minuat sine necessitate.*

CONNECTARIUM II. De his, in quibus Religiosus debet obedire. Religiosus tenetur obedire, 1°. In his omnibus, quæ sunt juxta legem Dei, juxta vota, & juxta Regulam; quia vovemus obedientiam secundum regulam. 2°. In his, quæ possunt conducere ad bonum gubernium statū Religiosi; quia superior est in statū Religioso ad instar Patris, inferior ad instar filii: Ergo sicuti filii tenentur obedire patri in his, quæ spectant gubernium domesticum; ita & Religiosi de-

MORES CHRISTIANI.
bent obedire prælato in his, quæ spectant gubernium statū Religiosi. 3. in his, quæ sunt indifferentia, licet sit dubium, non conducant ad bonum statū Religiosi gubernium; quia in dubiis standum est judicio Superioris.

C A P U T OCTAVUM.

De his, qui vota simplicia eliciunt in aliqua Congregatione sacerdotali, qualis, v. g. Est Congregatio Doctrinae Christianae, Congregatio Missionis.

• ARTICULUS I.

Qualis, & quanta sic obligatio voti simplicis

PROPOSITIO unica. Coram Deo votum simplex, & votum solemne unicum essentialiter, & idem votum est, ejusdem profus rationis, & obligationis; & ita qui in dictis Congregationibus violant vota simplicia in materia gravi, peccant mortaliter, licet non sint verè Religiosi.

Probatur 1º. Scriptura nihil distinguens inter votum simplex & solemne, generaliter obligat ad votorum observantiam: *Vovete, inquit, & reddite Domino Deo vestro.* Psal. 75. v. 12. *Si quid voristi, ne moreris reddere;* displicet enim ei infidelis & stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde Eccles. 5. v. 3. Rursus videmus Ananiam & Saphiram, licet essent infractores votorum, quæ haud dubie nondum declarata fuerant solemnia, tamen securā

severâ morte punitos; ergo eadem est coram Deo votorum simplicium & solemnium obligatio.

2º. Patres nihil distingunt inter votum simplex & solempne, sed Patres quoscumque votorum infractores sacrilegos nuncupant. Scire, debemus & nequaquam ignorare, quod quæcumque promittimus Deo, non ea deinde nostra esse, sed D.i: & si inde quid defraudamus, ea non nos sumere tanquam nostra, sed ut Dei Sacrilegio compilare, inquit Athanasius in Passionem & Crucem Domini. Qui se ipsum semel Deo devorit, hic si ad aliud deinde vitæ genus transiverit, Sacrilegii se scelere obstinxit; quippe qui se ipsum Deo, cui se consecraverat, veluti subversuratus sit, ait Basil. Reg. 14. Priusquam esses voti reus, liberum fuit nunc verò, quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniuritate deterreo. Aug. Epist. olim. 45. Ambigi non potest crimen magnum admitti, ubi & propositum deseritur, & consecratio violatur; nam si humana pacta non possunt impunè calcari, quid in iis manebit, qui corrupserit sacerdota divini Sacramenti, inquit Leo Epist. 92. Cap. 14.

3º. Canonistæ unanimiter declarant eamdem esse voti simplicis & solemnis obligationem. Solemnitas voti ad substantiam voti non pertinet. Glossa in Canon nuptiarum 27. q. 1. Idem docet Fagnianus in Caput Si quis de Regulibus. De hoc ita Summa Hostiensis lib. 3. de voto & voti redemptione num. 5. Quantum ad Deum simplex votum non minus obligat, quam solemnem; nam ex sui naturâ utrumque eandem

obseruantiam habet; utrumque enim est in perpetuum observandum; utriusque violatio mortale peccatum inducit; utrumque enim prohibet contrarium actum. Majus tamen peccatum est in fractione solemnis voti, quam simplicis; & solenne dividit matrimonium; & major paenitentia imponitur in violatione voti solemnis, quam simplicis; ratio est, quia qui frangit votum solenne, peccat in Deum; offendit constitutio nem Ecclesiasticam, & homines consciens scandalisat, quod in simplici voto non contingit..... Eadem tamen gravitas cum quadam proportione invenitur in fractione votorum simplicium, quæ eliciuntur in Congregatione Doctrinæ Christianæ, & Missionis, in quâ hæc vota simplicia, licet non sint solemnia, sunt tamen cum quadam publicitate, & hæc publicitas ad scandalum inducendum sufficit

4º. Theologi eandem ferè esse & voti solemnis & voti simplicis obligationem ex professio afferunt. Magister sententiatur in 4. distinc. 38. Privatum, id est simplex, votum, si violetur peccatum est mortale: Solemne vero votum violare & peccatum, & scandalum est. D. Thomas in eamdem distinctionem dicendum, inquit, quod votum simplex quod Deum dicitur non minus obligare, quam solemne in his, quæ ad Deum spectant. Sicut est separatio à Deo per peccatum mortale; quia mortaliter peccat frangens votum simplex sicut solemne, quamvis gravius sit peccatum frangere solemne. q. 1. Art. 3. q. 1a. ad ium. D. Thomæ assentitur D. Bonaventura in eamdem distinctionem. Ad illud, quod objicitur, quod non minus obligat votum simplex, quam votum solemne, dicendum, quod verum est

quantum ad culpm sive transgressionem: tamen minus obligat, quantum ad alterius vinculi solutionem, id est quoad solutionem matrimonii.

5^a. Ratio idem convincit. Votum generaliter spectatum est promissio facta Deo de meliori bono; atque promissio facta Deo est eadem, sive privatim, sive publicè fiat, sive solo corde eliciatur, sive externis signis exteriorius promatur: ergo obligatio semper eadem est coram Deo, qui testibus non eget, nec tabulis obsignatis, quibus homines cum hominibus agentes voluntates suas obsignantur; quia Deo aperte sunt tabulae cordis, cuique interna cordis locutio magis ac tutius rem exprimit, quam hominibus externa oris professio,

Consecularia bujus Doctrinae.


CONSECTARIUM I. In foro interiori exigua est differentia inter eum, qui violat votum simplex, & eum, qui violat votum solemne; quia uterque sit sacrilegus, tamen infractor solius voti simplicis non potest contentiose coram judice Ecclesiastico accusari, bente tamen infractor voti solemnis; quia Ecclesia solemniter acceptat votum solemne, minimè verò votum simplex.

CONSEC. II. In foro exteriori maxima est differentia inter eum, qui violat votum simplex, & eum, qui violat votum solemne; quia et si uterque sit sacrilegus, tamen infractor voti simplicis non potest contentiose coram judice Ecclesiastico accusari, bente tamen infractor voti solemnis; quia Ecclesia solemniter acceptat votum solemne, minimè

verò votum simplex.

CONSEC. III. Si votum simplex fiat publicè coram testibus, vel uniatur cum iuramento coram testibus, præstito, tunc in-

fractor voti simplicis potest citari coram judicis, tum ob scandalum inductum Ecclesiae, tum ob juramentum violatum.



TRACTATUS II.

De Status Clericali.

PROEMIUM.

QUAE sunt Status Religiosi Officia vidi-
mus. Jam quae sunt status Cleri-
calis obligationes videamus secundum au-
tem praesentem Ecclesie disciplinam Status
Clericalis est vitæ institutum, in quo homo,
vel tonsurā iniciatus, vel Sacramento Ordinis
consecratus, Deo devovetur.

Status Clericalis potest considerari. 1º.
Prout est consecratio, quâ Clericus se Deo
consecrat. 2º. Prout est ministerium, quo
Clericus Deo consecratus Fidclium salutis
procurandæ invigilat.



CAPUT I.

De variis Dotibus requisitis in eo, qui vult fieri Clericus.

ARTICULUS I.

De Dotibus requisitis ad statum Clericalem, prout est Consecratio, quâ Clericus se Deo devovet.

PROPOSITIO unica. Status Clericalis, prout est Consecratio, quâ Clericus se Deo devovet, exigit sanctitatem internam, eamque specialem

Probatur 1º. Scriptura. Dominus Levitas alloquens ait: *Sancti esote, quoniam ego sanctus sum.* Levit. 19. v. 2. En Sanctitas, quæ juxta Paulum 22. ad Timoth. cap. 2. v. 15. Debet esse non communis, sed specialis: *Sollicitè curam te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfessibilem, rectè tractantem Verbum veritatis.*

2º. Ex Ambr. Epist. 25. ad Vercellensem: *Cavendum non solum, ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem, qui ad Clericatum aspirat.*

3º. Ratione. Nihil sublimius statu Clericali; si ad Deum compates, peculium est Dei, uti olim tribus Levivica: *Eritis mihi peculium de cunctis Populis;* & in regnum Sacerdotale, Gens sancta. Exod. 19. v. 5. Si ad Christum conferas; Clericus Christi minister est: *Sicut*

misi me pater, & ego mitto vos . . . Dei adjuvatores sumus. ia. ad Corint. 3. v. 9. Si Ecclesiastam spectes ; Clerus est nobilior hujus Civitatis portio : *Super muros ferusalem Clericos constitutae custodes* Isai. 62. v. 6 Si Statum Clericalem cum Statu Religioso conferas, Status Clericalis est superior. *Monasticus enim ordo debet sequi Sacerdotales Ordines, & ad eorum imitationem ad divina ascendere.* Diony. cap. 6. Hierar. Eccles. majoresque exigit dispositiones. *Ex iis, qui in Monasterio permanent ; non nisi probatores, atque meliores in clerum assumere solemus.* inquit Aug. Epist. 76. & Hieron. *Sic vive in monastereio, ut merearis fieri Clericus.* Epist. ad Rusti.

Si Clericum novi Testamenti cum Levita veteris Testimenti componas, Clericus est Levita tantò excelsior, quantò major est Ecclesia Synagogà, & Christus Moysè : ergo omnes dotes illæ sanctitatem non vulgarem supponunt in Clerico.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Major requiritur sanctitas ad statum Clericalem, quam ad statum Religiosum : quia ut docet D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 1. ad 3um. *Ordines sacri præxigunt sanctitatem ; sed status Religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam.*

C O N S E C T A R I U M II. Optandum esset, ut qui ad statum Clericalem admitti cupiunt, sanctitatem baptismalem conservassent, uti eam conservasse creduntur Ambrosius, Augustinus, & alii. Clericus adolescentiam suam nullâ sorde commaculaverit ; sed ad

altare Christi de Thalamo virgo procedat, ait Hieron. ad Rusticum & in cap. 1. Epist. ad Tim. Sine criminis jubetur esse Episcopus... non quod eo tempore, quo ordinandus est, sine ullo criminis sit, & præteritas maculas nova conversatione diluerit; sed quod ex eo tempore, quo in Christo renatus, nullâ peccati conscientiâ remordatur.

CONSECTARIUM III. Si is, qui in Clerum vult recipi, in occultum aliquod crimen mortale non Canonicum lapsus fuerit, oportet ut verâ Pœnitentiâ crimen occultum deleverit, & peractâ Pœnitentiâ criminis non canonici poterit in Clerum admitti. Oportet enim, ut Clericus sit sè gregans à peccatoribus. ad Hebreos 7. oportet, ut sit irreprobenfibilis. ad Timo 3. Sit sine criminis. Ad Titum. 1º. Oportet etiam prius purgari, quam purgare, prius sanctificari, quam sanctificare, inquit Gregor. Nazian. Orat. 1a. Et quia Clericus medius est inter Deum & plebem, debet bonâ conscientiâ nitere quoad Deum, & bonâ famâ quoad homines. ait D. Thom. in 4. distic. 24. q. 1a. art. 3. ad 2um. Quæ omnia haberi non possunt ab eo, qui lapsus est in peccatum mortale, nisi verâ pœnitentiâ doluerit.

CONSECTARIUM IV. Si is, qui in Clerum vult recipi, lapsus sit in aliquod Manifestum crimen Canonicum, quod juxta Canones publicam pœnitentiam mereatur; tunc non temerè à Confessario & præcipitanter admittendus est; sed consulendus Episcopus, & videndum, utrum in hoc liceat Canonum severitatem temperare: nam juxta Canones antiquos, qui regi erant criminis Canonici,

licet pænituisse, excludebantur à Clero; sic enim habet Siricius. *Sicuti pænitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum; ita & post pænitudinem, ac reconciliationem nulli unquam liceat Laico honorem Clericatus adipisci;* quia quamvis sint omnium peccatorum contumie mundati; nulla tamen debet gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dum fuerint vasa vitiorum. Cap. 14. Idem docet Innocentius I. cap. 34.

C O N S C I A R I U M V. Si is, qui in Clericum vult recipi, lapsus sit in occultum crimen carnale, à fortiori in manifestum; præcipue si crimen carnale sit contra naturam, juxta Canones non licet eum in Clerum admittere, nisi forte tanta dedisset pœnitentiæ argumenta, ut spes esset eum & sibi & Ecclesiæ longè magis profuturum, quam si non peccasset. Ita jubet 1^o. Scriptura: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum.... Diaconos similiter pudicos.* 1 ad Timoth. c. 3. v. 2. & 8. & ad Titum 1 v. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem,* Idem jubent Canones. Innocentius enim primus cap. 31. ait Laici.... *Si non concubinam, non pellicem noverint, si in omnibus bonis operibus vigilaverint, non prohibeniur hujusmodi ad Clericatus foriem assumi.* Gelasius vero, cum vellet Ecclesiis Lucaniæ & Siciliæ omni ministerio destitutis succurrere, jubet tamen ut si quis etiam de Religioso proposito, & disciplinis Monasticalibus eruditus, ad Clericale munus accedat, *In pri-*

mis ejus vita præteritis ad tempora inquiratur, vel si nullo gravi facinore probatur infestus. Si secundam fortassis non habuit uxorem, &c. Cap. 2. Quod & sollicitius vult de Laicis inquirit Cap. 3. Illud fortius evincit solemnis illa Ecclesiæ consuetudo, quæ luxuriosos Clericos à gradu Clericali dejicit, & communionem Laicalem ad summum concedit. Episcopus, inquit, aut presbiter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto capitus est, deponatur: non tamen communione privetur. Dicit enim scriptura, non vindicabit Dominus bis in idipsum. Similiter & reliqui Clerici huic conditioni subjaceant. Can. Apost. 15. & 16. & Concilium Neocæsarensis Can. 9. & 10. Presbiter si præoccupatus corporali peccato prohibetur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblatæ non consecrat, manens in reliquis officiis propter studium bonum: Simili modo etiam Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine Ministerii subtrahatur.

ARTICULUS II.

De dotibus specialiter requisitiis ad statum Clericalem, prout Status Clericalis est Ministerium, quo Clericus fidelium Salutis invigilat,

PROPOSITIO unica. Status Clericalis, prout est Ministerium, in quo ministratur populo, præter specialem sanctitatem, de quâ modo egimus; insuper exigit scientiam, quæ est necessaria ad sacra ministranda.

Probatur 1º. Scripturâ. *Latio Sacerdotis*

82 MORALIS CHRISTIANA

custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ejus ; quia Angelus Domini exercitnum est. Malach. 2. ergo scientia requiritur in Clerico, ut tanquam doctor dirigat, & pietas, ut tanquam pastor & dux praebeat.

2°. Ex Isidoro Hispalensi lib. 3. Sententiarum Cap. 35. Sicut iniqui & peccatores Misterium Sacerdotale assequi prohibentur : ita indocti & imperiti à tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis vitam bonorum corrumpunt: isti vero suā ignoratiā, id est inscītiā, iniquos corrigere nequeunt.

3°. Ratione. Status Clericalis, & Sacerdotalis potest considerari primò in ordine ad corpus Christi naturale, quod est Eucharistia, secundò in ordine ad corpus Christi Misticum, quod est Ecclesia; si Clericus consideretur in ordine ad corpus Christi naturale, debet habere eam scientiam, quæ requiritur, ut decenter exerceat ea munia, quæ ad confectionem Eucharistiæ exiguntur, v. g. debet scire ritus & cæremonias, quas exercere debet. Si Clericus & Sacerdos consideretur in ordine ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, debet ea scire, quæ necessaria sunt ut populis Religionem Christianam explicet ita D. Thomas in 4. distinc. 24. q. 1a. 3. q. 2a. Ad ium. Hæc autem scientia ex scriptura & Traditione, & Conciliis, & Patribus eruenda est.

Consecraria hujus Doctrinæ.

CONSECRARIUM. I. Qui Tonsurā initiandi sunt, tales debent esse, qui spem pre-

beant Ecclesiae Ministros utiles fore. Concilium
Mediol. 5. De examinandi ratione.

CONSECTARIUM II. Qui Minoribus
ordinibus initiantur, ii debent esse, ut scien-
tiae spes tales eos ostendat, qui digni sunt, ut
ad majores Ordines aliquando ascendant. Ibi-
dem.

CONSECTARIUM III. Qui sacris Or-
dinibus initiantur, Clericis inferioribus doc-
trine quodam quasi ascensu præstare debent.
Ibidem.

CONSECTARIUM IV. Qui admit-
tuntur ad Statum Religiosum, non tanquam
Laici, sed tamquam Clerici, cum eâ spe,
quod aliquando ad Sacerdotium evehentur
debent pariter scientiam Clericis necessariam,
aut habere, aut eam posse assequi; si aliquando
Sacramentis ministrandis debeant incum-
bere; quia omnibus Ministris tam Religiosis,
quam non Religiosis dicitur: *Si cœcus cœco du-
catum præstet, ambo in foveam cadunt.* Math.
15. v. 1. 4.

CONSECTARIUM V. Qui admittun-
tur ad Statum Religiosum, ad nullas functio-
nes Hierarchicas evocandi, quales sunt Car-
thusiani, Camaldulenses, &c. Non debent
eâ scientiâ pollere, quæ est necessaria ad cu-
ram animarum, sed sufficit scientia ad missam
ritè celebrandam necessaria. Ita D. Thomas.
*Aliqui ad Sacerdotium promoventur . . . Sicut
Religiosi, quibus cura animarum non committi-
tur . & à talium ore non requiritur lex, sed
solum quod Sacraenta confiant; & ideo tali-
bus sufficit, si tantum scientiâ habeant, quod
ea, quæ ad Sacramentum perficiendum spectant,
rectè servare possint.* Loxo supracitato

CAPUT II.

De admittendis, vel rejiciendis à Status Clericali.

ARTICULUS I.

De his, qui juxta forum internum conscientia debent admitti ad Statum Clericalem, vel ad eum non admitti.

PROPOSITIO unica. Nemo debet admitti ad Statum Clericalem sine interiori vocatione.

Probatur 1^o. Scripturā. *Externus*, qui ad ministrandum accesserit, morietur. Num. 3. v. 10. *Vocavit ad se*, quos voluit ipse. Marc. 3. 6. 13. *Non vos me elegistis*, sed ego elegi *vos*. Joan. 15. v. 16. *Nec quisquam sumit sibi honorem*; sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron ad Hebræ. 5. v. 4.

2^o. Ex Abate Gaufrido Consideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati à Deo, cuius nimis nec vocatio est Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi nisi Rege introducere præsumit; tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus Et postea referens aliquos; qui vel odore lucri attracti, vel superbia ducti, Statum Clericalem eligunt, ait: *Quorum damnatio certa est*. Bernar. declamatione in Evangel. *Ecce nos reliquimus*.

3^o. Ratione. Deus in omni lege speciali vocatione attraxit, quos in Ministerium eligerat,

bar. Sic in lege naturæ vocavit Abrahamum, in lege scriptâ Aaronom, in lege Evangelica Christum; Christus verò vocavit Apostolos, & Apostoli eos solos suscipiunt, quos divinitus vocatos agnoscent. Ostende, inquit, quem elegeris, in electione Mathiae. In electione verò Diaconorum, ad Ministerium illud assumuntur, qui tanto muneri censemur divinitus vocati. Considerate ergo, fratres, utrosque vobis boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto, & sapientia. Act. 6. v. 3. & rursus. Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod obsumpsi eos. Act. 13. v. 2. Ergo necessaria est vocatio interior, quâ Deus eum, quem vocat, idoneum Ministrum efficit, juxta illud. Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.

4º. Ex intrusione Clericorum non pauca sequuntur mala. 1º. Sequitur, quod intile est Clerici intrusi Ministerium: Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant inquit Jerem. 23. v. 21. Ipsi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & ego non vocavi eos. Ait Oseas 8. v. 4. 2º. Sequitur fidelium scandalum, qui vulgo nec Sacramentis Pascuntur, nec verbo instruuntur, nec bonis exemplis ædificantur. 3º. Sequitur Ecclesiæ dedecus; quia Clericus intrusus Sacerdotali ordini magnas tenebras offert, inquit Catechismus Tridentinus.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Illi non censendi sunt vocati ad Statum Clericalem, qui non habent eas dotes, quas exigit Status Clericalis.

Temp. VI.

H

lis , qualis est innocentia , & scientia , de quibus supra ; quia cum Deus destinat ad aliquod officium , dat ea , quæ sunt ad hujusmodi officium exercendum necessaria.

C O N S E C T A R I U M II. Illi non censendi sunt vocati ad Statum Clericalem , qui Statum illum sublimem pravo aliquo motivo suscipiunt ; quia prava illa intentio denotat eos non vocari divinitus. Tales sunt v. g. illi , qui sunt Clerici. I. Ut tranquille vivant : nam Status Clericalis Status est non otii , sed laboris. *Voca operarios* , inquit Math. 22. v. 8. *Posui vos , ut eatis , & fructum afferatis* , inquit Christus II. Qui sunt Clerici , ut divitiis affluant ; quia Clericos decet esse pauperes , & non divites. *Nolite* , inquit Christus , *possidere aurum , neque argentum*. Math. 1°. *Habentes enim alimenta , & quibus tegamur ; his contenti simus* , ait Paulus. 12. Ad Timo. Cap. 6. v. 8. III. Qui sunt Clerici , ut honoribus fulgeant ; quia Status Clericalis Status est humilitatis , & non fastus. *Mundus mihi Crucifixus est , & ego mundo* , inquit Paulus ad Galat 6. v. 14. Quos ita inculpat Greg. in Pasto. lib. 1. Cap. 10. *Ministerium humilitatis vertunt in argumentum ambitionis*. Eos omnes ita admonet Concil Mediol. rum. Titul de vita & honest Cleric. *Cum in Dei militiam adscripti sunt , non ad commoditates , aut voluptates , sed ad labores , ac sollicitudines vocatos se esse intelligent.*

C O N S E C T A R I U M III. Illi non censendi sunt vocati ad Statum Clericalem , qui magis querunt , quam queruntur , ut ait Bernard. Quia Status Clericalis Status est ,

quem timeas, & non ambias. Reperio omnes
Sanctos divini Ministerii ingeniem veluti molem-
formidantes. Cyril. Alexand homil. 1a. De
Festo Paschali. Tantum ab ambitu debet esse
sepositus, ut queratur cogendus, regatus rece-
dat, invitatus refugiat, sola illi suffragetur ne-
cessitas excusandi. inquit Leo.

C O N S E C T A R I U M IV. Illi non censendi
sunt vocati ad Satum Clericalem, qui à solis
parentibus pravo aliquo motivo ad divinum
Ministerium destinantur; quia Dei est & non
parentum Ministros sibi seligere: *Quos elegit*
Deus, & non alii, apropinquabunt ei. Num.
16. v. 5. Ideo præsumendi sunt non vocati ad
Clericalem Statum, I. Hi quos parentes offe-
runt Ecclesiæ; quia Statui sacerdotali non ju-
dicantur apti. *Indignum est enim dare Deo,*
quod a dignatur homo, inquit Hieronimus in
Malach. Cap. 1. II. Hi, qui Tonsuram susci-
piunt, ut Beneficium aliquod à consanguineis
aut cognatis possessum obtineant, quasi
bona Ecclesiæ essent hæreditaria. Hos incul-
pat Psal 82. v. 13. qui dicunt. *Hæreditate*
possideamus Sanctuarium Dei III. Hi, qui offe-
runt Ecclesiæ, ut inquit Bernardus, *Ne in*
tot liberos nostra dividatur hæritas, supra
illud. *Ecce nos reliquimus omnia.*

C O N S E C T A R I U M V. Illi è contra cen-
sendi sunt vocati ad Statum Clericalem, qui
prædictis dotibus, scilicet innocentia & sci-
entiâ dotati, exemplum Christi sequuntur. I.
Qui sunt Clerici, ut laborent in vinea Christi.
Venit filius hominis non Ministrari, sed ministra-
re. Math. 20. v. 28. II. Qui Spiritum Christi
enixè postulant: *Si quis Spiritum Christi non*
H. ij

kabet, hic non est ejus. Ad Rom. Cap. 8. v. 9. & qui à Deo enixè petunt, an digni sunt, qui ad Clericatum admittantur. Domine! si tu es; jube me venire ad te super aquas. Mat. 14. v. 28. III. Qui, vel Episcopum, vel aliquem virum probum consulunt, à quo addiscant, quid eos oporteat facere, uti fecit Paulus Ananiam consilens. Qui ei dixit Surge, ingredere in civitatem & ibi diceatur tibi, quid te oporteat facere. Act. 9. v. 7.

ARTICULUS II.

De his, qui juxta forum etiam externum non sunt ad Statum Clericalem admittendi.

PROPOSITIO unica. Qui sunt irregulares, vel ex defectu, vel ex delicto, non possunt ad Statum Clericalem admitti.

Probatur. 1°. Scripturā. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* 1a. Ad Timoth. Cap. 5. v. 22. Ergo hi non sunt ad Statum Clericalem evehendi, qui vel ex defectu, vel ex delicto sunt irregulares, id est, ad illum Statum non idonei.

2°. Ex jure Canonico Can. 4. dist. 22. *Tales ad Ministerium elegantur Clerici, qui dignè possint Sacra menta tractare*: ergo qui vel ex delicto, vel ex defectu sunt irregulares, non sunt ad Statum Clericalem admittendi.

3°. Ratione. Status Clericalis exigit alias dotes naturales, putà scientiam in mente, aptam membrorum conformatiōnē in corpore, &c. Qui his dotibus vacuus est, dicitur irregularis ex defectu. Status Clericalis exigit

etiam aliquas dotes supernaturales , putà sanctitatem , testimonium bonum , &c. Qui his dotibus ex culpâ suâ vacuus est , dicitur irregularis ex delicto : Ergo quidam sunt irregulares ex defectu , quidem ex delicto. Ergo hi non sunt ad Statum Clericalem admittendi ; Deus enim exterioribus illis signis videtur aperte indicare quod hujusmodi homines ad Clericatum non vocentur.

Quinam sint irregulares tum ex defectu , tum ex delicto , diximus , ubi de Censuris & irregularitate.

CAPUT TERTIUM.

De Obligationibus , Clericis , Monachisque Communibus.

Sunt quædam obligationes Clericis Monachisque communes. sunt quædam officia Clericis & Monachis communia , quatenus Clericatus & Monachatus , seu uterque ille status Deo nos consecrat : ideo non erit abs re ea simul jungere.

ARTICULUS I.

De Obligationibus Clericorum & Monachorum : quoad vestes.

PROPOSITIO unica. Oportet Clericos , à fortiori Monachos iis vestibus esse induitos , quibus à populo distinguntur , imò oportet , ut caput attonsum habeant.

Probatus 1º. Scripturâ q. Reg. Cap. s. v.

H iii

90 MORALIS CHRISTIANA.

7. Elias Thesbites ex habitu dignoscitur. *Ch-*
jus figuræ & habitus est vir ille, qui occurrit
vobis, & locutus est verba hæc: at illi dixe-
runt: vir pilosus, & zonam Pelliceam accinctus re-
nibus, qui ait: Elias Thesbites est. Et de Joa-
nne Baptista dicitur. Math. 3. v. 4. Ipse autem
Joannes habebat vestimentum de pilis cameloi-
rum, & zonam pelliceam circa lumbos suos...
Decet ergo ut Clerici & Monachi vestibus
talaribus Aarōnem imitentur, tonsurā vero
capitis Nazaræos referant, qui post Nazaræa-
tum capillos radebant, & igne Sacrificii adu-
rebant: inquit, Isidorus Hispalensis.

2°. Ex Epiphanio heresi 80. Ubi ait. *Opor-*
tet filios Sanctæ Virginis Matris Ecclesiæ, Cle-
ricos scilicet, & Monachos, esse venerandos
in tonsurâ... Atque honesto habitu propter ex-
traneos.

3°. Ratione. Vestis ad duo inservit, ad
 indumentum & ad dignitatem; ideo ait Plinius secundus. *Licet ueste non augeatur digni-*
tas, ornatur tamen, & instruitur. Et Teru-
llianus libro de Pallio indices, custodesque digni-
tatis habitus vocat: Ergo decet, ut habitus
*Clericorum, & Monachorum ab habitu vul-
 gari Laicorum discernatur, & hoc propter
 quatuor, inquit Reynerus Pisanus, 1°. Propter
 pænitentia executionem, 2°. Propter mundanæ
 gloriae vitationem, 3°. Propter sui humilia-
 tionem, 4°. Propter aliorum ædificationem;
 quibus omnibus pariter inservit tonsura capi-
 tis; oportet enim, inquit Clementina. *Quo-*
niam de vita, & honestate Clericorum. Cle-
ricos, & Monachos Per decentiam habitus ex-
*trinseci morum intrinsecam honestatem ostendere,**

Consecaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. De Religiosis. 1°. Religiosi peccant graviter, imò in excommunicationem incident, si sine justâ causâ habitum sui Ordinis dimittant. 2°. Religiosi habitus debet esse secundum regulæ suæ statuta; ita tamen quod conveniat Religioni & pœnitentiæ. Caus. 21. q. 1. Can. *Vidua.*

CONSECTARIUM II. De Religiosis. Religiosi peccant graviter, quando induunt vestes, Statu Religionis & pœnitentiæ disconvenientes. Per hanc vestium parum convenientium affectatam differentiam renuntiare videntur, & statui Religioso, & Professioni pœnitentiæ: statui quidem Religioso; quia *Priscis temporibus omnis sacratus vir cum medio-erit aut vili ueste conversabatur.* Can. *Omnis actura causa 21. q. 4.* Professioni verò pœnitentiæ, quam Religiosus ex vi statu profiteri debet; pœnitentes enim vilibus vestibus uti oportet, ut patet ex Joanne Cap. 3. dicitur etiam de Rege, Ninivitarum quod indutus esset sacco. Et de humiliato Achab dicitur, quod carnem suam cilicio operuit. 3. Reg. Cap. 21. Quām longè distant Religiosi nostri temporis à Joanne Baptista primo Eremitarum autore, qui *Habebat umentum de pilis camelorum.* Utī enim pœnitentiam prædicabat, inquit Glosfa, ita habitum pœnitentiæ prætendebat. Quām difformes pretiosæ nostræ vestes ab illa tunica, quam Paulus ex palmis sibi contexuerat, quamque D. Antonius in solis solemnis festis deferebat. *Quantum debet*

abhorrente affectata nostra vestium mundities ab illa Hilarionis optanda negligentia, quā sordes in cilicio querere, vel abstergere nefas putabat. Amenus ergo, ut dicit Bernardus, paupertatem non sordes.

CONSECTARIUM III. De clericis.
Clerici in Sacris constituti, aut Beneficia possidentes, si vestes Ordini congruentes non semper deferant, ab Officio, & Beneficio suspenduntur, & proventibus Beneficiorum privantur. Trident. sess. 14. De reform. Cap. 6.

Quales debeant esse vestes Clericorum ex variis Conciliis accipe. I. Quoad materiam, non possunt esse serice, exceptis filiis Regum, principum, & ducum. Senonense in decretis morum. Cap. 23. Debent esse laneæ. Mediolanense 1. Parte 2a. De vestitu Clericorum. II. Quoad colorem, non debent esse purpureæ. Narbonense Cap. 1º. Nec virgate, id est, virgis diversi coloris distinctæ. Cap. Quoniam de vita & honestate Clericorum, nec virides. Cap. Clerici ibidem; sed nigri coloris. III. Quoad formam, non debent esse breves usque ad medietatem tibiæ. Toletan. 22. Cap. 14. Sed debent esse talares. Lateranense. 5. sess. 9. & clausæ à summo usque ad imum. Senonense ibidem. Et non partitæ. Cap. Quoniam. Ibidem. IV. Quoad decentiam, non debent esse Pannosæ, aut laceræ. Senonense ibidem. Nec luſtuſæ, aut funebres. Toletanum 12. Cap. 8. V. Quoad ornatum, non debent esse frangiæ. Coloniense 2. p. 2. Cap. 26. VI. Clerici non debent portare torques, armillas, monilia, annulum, nisi ratione dignis-

tatis. Mediolanense, ubi supra. Demum Clerici ita debent vestiri, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Tridentinum, ubi supra. VII. Coronatus debet esse, qualem ordo postulat. Mediolanense, ubi supra. VIII. Modestiam vestium comitari debet modestia supellectilium, & mensæ. Episcopus vitem supellectilem, & mensam, & vitem pauperem habeat, & dignitatis sue autoritatem fide & vita meritis querat, inquit Cattaginense 4. Cap. 15. Nec luxum excusat nobilitas Clerici, ut optimè docet Bernardus. Si quia filius comitis, aut Consobrinus Regis es, manu effusiore teneris expendere: necessitas hæc, Christi Patrimonium non contingit.

II. Si tamen causa rationalis aliter exigat, poterit Clericus Monachusve uti vestibus secularibus; putà si degens apud infideles vestis Clericalis vel Monachalis esset in causâ, cur inquireretur ad mortem, vel cur non posset fidem prædicare, aut aliud. hujusmodi. Ita capite quoniam de vita & honestate Clerici.

ARTICULUS II.

Quæ interdicuntur Clerico, Monachove.

PROPOSITIO unica. Clericis & Monachis interdicuntur ea exercitia, quæ feritatem aliquam redolent.

Probatur 1º. Scriptura. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, non iracundum, non percussorem: Ergo Clericis interdicitur, quidquid feritatem redolet.

2º. Ex Hierony. Can. Si quis distinc. 36.

Est & aliud opus, quod fecit Moyses, ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos; sed quid facit: orat, & orat donec, vincit populus ejus.... Oret ergo Sacerdos Ecclesiae indesinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est: oret ergo, & non bellet 3°. Oportet, ut Clerici Christi lenitatem imitentur, quia eis praecipue dictum est. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: Ergo oportet, ut Clerici & Monachi ab his omnibus abstineant, quæ se-ritatem redolent.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Non licet Clericis, Monachisve arma gestare, aut bellum gerere; quia hoc feritatem redolet. *Arma enim militiae nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* za. Ad Corint. Cap. 10. v. 4. Lachrymæ, & orationes arma sunt, & munimenta Sacerdotis, inquit Ambrosius, oratione in Auxentium. Dolere potero, gemere potero, flere potero, adversus arma, milites, Gothos quoque; lachrymæ mee arma sunt; talia enim munimenta sunt Sacerdotis, aliter nec deboeo, nec possum resistere.

Clerici arma gestantes excommunicantur. Cap. Clerici de vita & honestate Clericorum, non possunt uti hastis, balistis, sclopeto, tellis, & similibus armis, inquir Mediolanense i. p. tit. De armis, & ludis, nisi extra civitatem per loca suspecta eundum esset; & tunc arma deferri possunt cum licentiâ Episcopi in scriptis obtenta. Ibidem. Clerici & Monachi vacantes militiæ deponuntur. Mogunt,

1. Cap. 17. Si in bello moriantur, non offerantur Missa pro illis. Can. *quicumque Clericus*. Caus. 23. q. 8. Can. 4. Clerici autem & Monachi possunt bellare contra hostes Religionis, putâ contra Saracenos, contra Turcas, &c. Innocentius III. Constitu. 12. *Ad liberandum*, & Pius V. Constitu. 145. *Cum uos*.

C O N S E C T A R I U M II. Non licet Clericis, & Monachis judices esse in causâ sanguinis, mortis, & mutilationis; quia hoc feritatem redolet. *Christus venit, non ut judice mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum.* Et mulieri adultere dixit: *nemo te condemnavit, neque ego te condemnabo.* Idem præstare debent Clerici: Ideo Toletanum 6. Can. 31. ait. *Clericis judicium sanguinis agitare non licet.* Clerici judices in causâ sanguinis excommunicandi sunt. Can. *His à quibus* caus. 25. q. 8. Can. 30. Non possunt esse præsentes, ubi fit tale judicium. Lateranense IV. Can. 18. Nec esse præsentes, ubi reus interficiendus est, aut mutilandus, Matisonense 2. Cap. 19.

C O N S E C T A R I U M III. Non licet Clericis, Monachisve venari: nec venatione oppressivâ, quæ homines perdit; quia numquam licet occidere; nec venatione arenariâ, quâ homo decertat cum bestiis; quia ex cæsequi solet hominum interitus; nec venatione clamorâ & saltuofâ, quæ in Sylvis & saltibus feras persequendo, & occidendo armis exercetur; quia est quædam belli species, ut optimè ait Aristoteles, & apta ad bellum præparatio, ut ait Xenophon. lib. 1. Educationis Cyri; & quia insuper triplex illa venatio clamoris plena est, & animum maxime à

66 MORALIS CHRISTIANA:

Divinis avocat, cogitque Clericos, ut alant canes, & accipitres, quod eis vetitum est. Ut ait Glos. In can. *Esa*. Et occasio est, ut Clerici vestes talares deserant, quod eis interdictum est. Antiqua est venationis interdictio: hanc sibi interdictam dicit Synesius Epist. 105. Eam sub pœnâ excommunicationis, & suspensionis prohibet Cap. *Episcopum*. De Clerico Venatore. Idem dicunt Capitularia Regum nostrorum. lib. 5. Cap. 112. Idem etiam videtur præscribere Trid. dum enim jubet Clericos ab illicitis venationibus abstinere, tacitè innuit licitas esse aliquas venationes Clerico. Licitâ est v. g. Venatio arenaria ad mortem vitandam. Glossa in Can. *Qui venatoribus*. Licitâ est pariter Clerico venatio clamosa, & saltuosa, ut vitetur fames, & victus necessarius habeatur. Licitâ est pariter venatio quieta causâ recreationis honestæ exercita.

C O N S E C T A R I U M IV. Non licet Clericis, Monachisve artem medicorum, aut Chyrurgorum exercere, ubi incisione aut adustione opus est, nisi erga pauperes, aut in necessitate; quia extra illos casus videtur hoc quamdam feritatem redolere. Cap. *Sententiam sanguinis*.

P R O P O S I T I O II. Clericis & Monachis interdicuntur ea exercitia, quæ turpe aliquod lucrum sapiunt, vel negotiis sacerdotalibus implicant.

Probatur 1º. Scripturâ. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sacerdotalibus, ut ei placeat, cui se probavit.* 2. Ad Timoth. Cap. 2. v. 4. Ergo Clericus, à fortiori Monachus, non debet se immiscere sacerdotalibus negotiis.

2º. Ex

2º. Ex Chrysostomo, qui ita loquitur de Clericis implicari negotiis sacerdotalibus: *Quos oportebat animarum curam habere, eā prætermissa sollicitè curant, & quotidie cogitant, quæ publicanis, quæstoribus, villicis curanda sunt.* Homiliâ 86. in Math.

3º. Ratione. Ecclesia regnum est spirituale, in quo non alia exercenda sunt negotia, quam ea, quæ animas Christo lucifaciunt: ergo Clerici, à fortiori Monachi, debent ab his omnibus abstinere, quæ ad salutem animalium non conducunt.

Consecataria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Clericis & Monachis interdicta est. I. Negotiatio lucri causâ exercita; quia Ecclesia domus est orationis, & non negotiationis: ergo Clericos decet orare, & non negotiari. *Clericus, qui leviori comparat pretio, ut carius vendat, filius est avaritiae, idololatra pecuniae, servus mammonæ,* & venuudatus sub peccato, inquit Petrus Blesensis. Epist. 17. Iº. Clericus non potest negotiari, emendo, & vendendo, ut docet Honorius de vita, & honestate Clericorum apud Cyronium: *Presbyteri, inquit, Diaconi, de locis suis negotiandi causâ ne discedant, sic Clerici nec Provincias circumvenientes quæstuosas nundinas secentur.* Eliberitan Can. 19. II. Clericus non potest possessiones aliorum conducere: *Si quis Clericus conductor alienæ rei voluerit esse... depositus à Clero, à communione alienus fiat,* inquit Arelatense. 2. c. 14. III. Clericus non potest esse villicus, ut docet Concilium Cap-

98. MORALIS CHRISTIANA.

bellionense 3. Cap. 7. Etiam non potest esse tabernarius , ut dicitur Can. 9. In Trullo. Quæ omnes leges maximè vigent istis temporibus , quibus nulli Clerici. Admittuntur ad subdiaconatum , nisi titulum habeant , aut Beneficium , unde nutriantur : proinde Clericis nunc maximè non licet , ut olim licebat , exiguae etiam negotiationes exercere ad vicitandum.

CONSECTARIUM II. Clericis , & Monachis interdicta est omnis exercitatio , quæ sæculo implicat ; quia Clericos decet , ut olim Levitas , solum divinis rebus esse intentos. Ita Cap. Sed procurationes , ne Clerici , vel Monachi.

Quocirca 1º. Clericus non potest exercere Officium Advocati , Procuratoris , Tabellionis , Notarii coram judice sacerdotali exceptis causis propriis , vel Ecclesiæ , vel pauperum. 2º. Non potest pariter aliorum tutelam , aut curam suscipere ; non potest pro aliis fidejubere ; non potest principum , aut aliorum Laicorum causas agere ; non potest esse præcursor aut auctor fœminarum. Hæc omnia vetat Concilium Mediolanense ium. Cap. 26.

PROPOSITIO III. Clericis , & Monachis. Interdictitur ea recreatio , quæ sobrietatem offendit , aut castitatem ; quales sunt comedationes , tabernæ , choreæ , spectacula , concentus musici profani , & inhonesti,

Probatur 1º. Scripturâ. Oportet Clericum sobrium esse pudicum , castum. . . . Ergo ei interdictitur id omne , quod sobrietatem lœdit , aut castitatem.

2º. Ex Conciliis. Abbates , Episcopi , &

Clerici ante se joca turpia facere non permittant; sed pauperes, & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione, & laude Domini. Concilium Rhemensis sub Carolo Magno Cap. 17.

3º. Ratione allatâ per Concilium Trident. sess. 1a. Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domus suæ bene præpositos, hortatur etiam, ut ante omnia quietibet in mensâ servet sobrietatem, moderationemque ciborum; deinde cum in eo saepe otiosi Sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur. Tales debent esse Clericorum deliciae.

Consecratio hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Clerici, & Monachi debent ab ebrietatibus, & comeditionibus abstinere. Omnibus dictum est: Attende, ne graventur corda vestra in crapulâ, & ebrietate; à fortiori id vetitum est Clericis, & Monachis. *Sicut in die honeste ambulemus, non in comeditionibus & ebrietatibus.* Ad Rom. Cap. 13. v. 13. Nam ebrietatem qui habet, homo non est, ait Chrysostomus. *Eam qui habet, se ipsum non habet.* Aug.

C O N S E C T A R I U M II. Clerici, & Monachi non possunt tabernas ingredi, nisi peregrinationis necessitate compulsi; id enim prohibet Concilium Laodicenum. Can. 24. Idem vetat Turonense: *Non possunt se ad bibendum incitare, ut dicitur capit Crapula de vita & honestate Clericorum, non nisi raro debent apud Laicos epulari, ut docet Hieron. Epulas;*

100 MORALIS CHRISTIANA.

inquit, numquam petentes, raro accipiamus rogati. Facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium, non recusat. Ad Nepoti.

C O N S E C T A R I U M III. Clerici & Monachi ab omnibus spectaculis & choreis abstinere debent; dato enim, quod haec licent Laicis, tamen interdicenda essent Clericis; quia, ut ait Concilium Aquense an. 1585. *Quod in populo veniale est, in Sacerdote judicatur sacrilegum:* Ideò districtè Clericis prohibet choreas, comedias, fabulas, &c. Ne puritas Sacerdotis rerum inanum, aut etiam obscenarum aspectu polluatur. Eamdem rationem affert Concil. Parisiense 6. Can. 38.

C O N S E C T A R I U M IV. Clerici, & Monachi debent ab omnibus profanis concentibus abstinere. Ita Concil. Turonense III. Can. 7. *Quæcumque, inquit, ad aurium, & ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque non nullis rebus sentiri potest,* Dei Sacerdotes abstinere debent.

C O N S E C T A R I U M V. Clerici, & Monachi debent ubique, præcipue in Ecclesia, abstinere ab eâ musicâ. *Ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur.* Trident. sess. 22. Decreto de observaddis & vitandis in celebratione Missæ.

P R O P O S I T I O IV. Clericis & Monachis interdicuntur ex recreationes, quæ gravitatem Clericalem & Monachalem dedecent: quales sunt, v. g. ludi, colloquia profana, turpia, contentiosa, aut jocosa.

Probatur 1^o. Scriptura. *Omnia mibi licent;* *sed non omnia expedient ia.* Ad Corinth. Cap.

DE STATU CLERICALI. 101

6. v. 12. Ergo oportet, ut Clerici, & Monachi eas animi avocationes eligant, quæ ad suam & populorum salutem conducant.

2°. Ex Patribus. *Magnis addictus es, noli minimis occupari, minima & vilia sunt, quæcumque ad sæculi quæstus, & non ad lucra pertinent animarum,* inquit Petrus Blesensis: Ergo à Clericis vitanda est omnis recreatio, quæ gravitatem aliquam non sapit.

3°. Ratione. Sicut quies est necessaria corpori defatigato, ita & recreatio aliqua menti, quando intensori studio defatigata est; sed cavendum, quod ut ludus sit licitus, debet personæ, tempori, & loco congruere: Ergo si juxta Tullium libro 1°. de Officiis, *Pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ honestis actionibus non sit aliena, adeo ut in ipso etiam joco aliquid probi ingenii eluceat;* à fortiori non debemus permittere Clericis & Monachis recreations Iudicras & gravitatem offendentes, si enim juxta eundem Tullium lib. 1. Offic. Non ita generati à natura sumus, ut ad ludum, & ad jocum facili esse videamur, sed ad severitatem potius, & ad quedam studia graviora atque majora. Si id paganus de homine senserit, quid nos de Clerico & Monacho sentire debemus: Ergo omnis recreatio Clericorum debet esse & gravis & modesta, & numquam ludicra, turpis, aut contentiosa.

Consecataria bujus Doctrinæ.

CONSECTARIM I. De Ludo. Non licet Clericis & Monachis ludere publicè, &

cum Laicis ; quia hæc recreatio gravitatem Clericalem & Monachalem deprimit. Clerici, inquit Senonense, ne in publico ludant pilâ, aut aliis ludis maximè cum Laicis. A ludo alearum aliisque, qui à sorte pendent, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores, aut tessest existant. Concil. Senon. Can. 25. an. 1528.

CONSECTARIUM II. Si aliquando Clerici vel Monachi ludant eo ludo, qui à sorte non pendet, id privatim & non pubblicè faciant, & absque interventu pecuniae, ut jubet Concil. Mediol. 4. Si autem, inquit, valetudinis interdum causâ, parvâ pilâ, aut alio non indecoro exercitationis genere uti contigerit, ne publicè id faciant, nec pecunia in ludo iutercedat. Concil. Mediol. 4. Cap. De armis.

CONSECTARIUM III. Si Clerici Monachive aliquâ animi recreatione se oblectent, ita se gerant, ut licentia illa nulli sit scandalo : Videte, inquit Paulus, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 1a. Ad Corinth. Cap. 8. v. 9.

CONSECTARIUM IV. De conversatione. Clerici & Monachi in mutuis colloquiis debent, 1. Quoad fieri potest, de sacris & utilibus rebus debent colloqui, & nihil profanum admiscere: Profana, inquit Paulus, & vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem. 2s. Ad Timoth. cap. 2. v. 16. Tales, inquit August. convenit esse Dei cultores & servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, in facto, immaculatos; ut qui viderit eos, stupeat, & admiretur, & dicat, verè hi homines sunt Dei, quorum talis est conversatio. Aug. de vita Christi.

II. Omnem contentionem debent effugere: *Noli: inquit Paulus, contendere verbis, ad nihil utile est, nisi ad subversionem audientium.*

2a. Ad Timoth. Cap. 2. v. 14. Ad exemplum Christi; de quo scriptum est: *Non contendet, neque clamabit.* Math. 12. v. 19.

III. Omnem turpem sermonem longè debent abjecere: *Deponite, inquit Paulus, turpem sermonem de ore vestro.* Ad coloss. Cap. 3. v. 8. *Fornicatio, & immunditia nec nominetur in vobis, sicut decebat Santos.* Ad Ephes. 5. v. 3.

IV. Debent omnem jocum, Ironiam suppri-
mere: *Scurrilitas, inquit Paulus, non nominetur in vobis, quæ ad rem non pertinet, sicut decebat Santos.* Clericum enim scurrilem, & verbis turpibus jocularēm, ab officio retrahendūm jubet Concilium Cartag. 4^{um}.

ARTICULUS II.

*De obligatione Clericorum & monachorum, quo-
ad orationem publicam, seu horas Canonicas.*

Vide dicta alibi de oratione.

PROPOSITIO I. In sancta reipublicā, qualis est Ecclesia, debent esse orationes publicae, quibus per Ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi à Deo petitur, quod est ad salutem necessarium.

Probatur 1º. Scripturā. *Obsecro primum omniū fieri obsecrations, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* 1a. Ad Timoth. Cap. 2. v. 1. Ergo oportet orationem fieri ab omni cœtu fideliūm.

2º. Ex Tridentino sess. 2a. Præcipitur, ut

privatim & publicè orationes fiant pro omnibus hominibus.

3º. Ratione. Communis hic est instinctus omnium, qui speciem aliquam Religionis habent, ut orationem aliquam publicam eorum Deo effundant: ideo legimus, quod ab Adamo usque ad nos Religiosè observata fnerit publicè orandi consuetudo. Abel, & Caïn publicum offerunt Sacrificium. Genes.

4. v. 3. Noë verò caput invocare nomen Domini. Ibidem v. 26. Noë palam & publicè edificavit altare Domino.... Et obiulit holocausta super altare. Genes. 8. v. 20. Abraham in Sichem & Bethel. sacrificat. Genes. 12, v. 8. In legi scripta Sacrificium juge publicè celebrari debuit quotidè. Num. 28. In novo autem Testamento cernimus Christum, & privatim, & publicè orare; privatim, cum dimissâ turbâ ascendit in montem solus orare. Math. 14. v. 23. publicè, cum hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Math. 26. v. 30. Item cernimus de Christianis dictum: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ matre Iesu, & Fratribus ejus.* Act. 1. v. 14. Imò aliquandò exprimitur hora orationis: *Petrus & Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam.* Act. 3. v. 1. & rursus: *ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam.* Act. 10. v. 9. Postea demum cernimus statuta esse quædam tempora ad publicam orationem. Hoc ita scribit autor Epist. ad Demetriadem: *Præter psalmorum, & orationis ordinem; quod tibi horâ tertią, sextâ, nonâ, ad vesperum, mediâ nocte, & mane semper est exercendum;*

statue, quot horis sanctam scripturam discere debeas. Hæc autem oratio publica solet variè denominari. Modo dicitur officium; quia per hanc Deo reddimus officium nostrum: modo horæ canonicae; Quia ita Canonibus Sacris est instituta; modo breviarium; quia in breviario continentur quædam ex scripturâ & ex patribus excerpta recitanda ab his, qui ab Ecclesia destinantur, ut preces Ecclesiæ nomine effundant.

2a. PROPOSITIO. Ad Ecclesiam pertinet determinare, & quo pacto, & à quibus personis fieri debeat oratio publica.

Prebatur 1º. Ex Canone II. Niceno, ubi sic habetur: *Quoniam sunt quidam, qui in die Dominico genuflectant, & ipsis diebus Pentecostes: ut omnia similiter in omni Parochiâ serventur, visum est sanctæ synodo, ut stantes Deo orationes effundant: Ergo ex illo Canone patet, quod Ecclesia determinavit modum orandi: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare, quæ ad orationem publicam pertinent.*

2º. Ex D. Thoma quolibet i. q. 7. Art. 1. *Ea vero, quæ ad Ecclesiam pertinent, qualis est oratio publica subjacent dispositioni Prælatorum Ecclesiæ.*

3º. Ratione. Sicuti ad rempublicam politicam pertinet determinare ea, quæ quietem publicam spectant, ita ad rempublicam Sacram, qualis est Ecclesia, pertinet determinare ea, quæ pertinent ad cultum divinum; atqui oratio pertinet maximè ad cultum divinum: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare, quo pacto, & à quibus personis fieri debeat oratio publica.

3^a. PROPOSITIO Juxta antiquam Ecclesiæ præxim omnes Clerici , in quocumque essent ordine , tenebantur olim horas Canonicas recitare , ita usque ad sæculum circiter decimum.

Probatur. **1^o.** Jure Civili. *Sancimus* , ut omnes Clerici per se ipsos psallant , nocturna , matutina , & vespertina. L. 42. Cap. de Episcopis & Clericis.

2^o. Ex jure Can. Presbiter , vel Diaconus , vel Subdiaconus , vel quilibet Ecclesiæ deputatus ; tunc autem non erant nisi Clerici deputati , si imra civitatem fuerint , vel in loco , in quo Ecclesia est , aut castello , aut vico , aut villa , & ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit , Clericus non habeatur. Concil. Tolet. Can. 5.

3^o. Clericus , qui absque corpusculi sui inæqualitate , id est citra morbum , vigiliis deest , stipendio privetur. Concil. Cartag. 4. Can. 49.

PROPOSITIO IV. Præcipua Monachorum Monialiumque obligatio fuit semper horas Canonicas recitare.

1^o. Ita docet Basilius de institutione vitæ Religiosæ. Can. Presbiter. Horæ à Sanctis viris precibus ad Deum ac laudibus dicatae sequendæ sunt. Idem docet autor Epist. ad Demetriadem.

2^o. Id jubet status Monachorum & monialium est enim status institutus ad orandum , non solum pro se , sed etiam pro populo ; quod utique melius fieri non potest , quam horis Canonicas ad hoc institutis.

3^o. Regula Sancti Pachomii , Sancti Benedicti , Sancti Ferreoli , Sancti Francisci , Sancti

Dominici præcipit recitationem horarum Canonarum : ergo ex universalis illâ omnium Ordinum Religiosorum consuetudine manifestum est , Monachos & moniales teneri ad recitandum divinum Officium.

PROPOSITO V. Juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem triplex est titulus obligans ad horas Canonicas , Beneficium Ecclesiasticum , ordo sacer , professio Religiosa ad chorum deputans.

Probatur. I°. Ex Concilio Basileensi sess.

21. Can. 5. Quoscumque Beneficiatos , cœu in sacris constitutos , cum ad horas Canonicas teneantur , admonet hæc Synodus , ut sive soli , sive associati diuenum nocturnumque officium reverenter verbisque distinctis peragant , En obligatio pro Clericis Beneficiatis , vel in ordine sacro constitutis . De Monachis vero sic habet Antoninus p. 3. Titu. 13. Cap. 4. Teneantur ad horas Religiost Professi , quorum Religio ad actus vitæ contemplativæ est instituta , & per Ecclesiam confirmata .

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. De Beneficiatis.

Episcopatus , Rectoratus , Cononicatus , dignitas , præpositoria præstmonia , Capellania collativa , & commendata demum quælibet Præbenda tituli Clericalis , obligant Beneficiatum ad horas Canonicas ; quia hæc omnia sunt Beneficium Ecclesiasticum , cuius possessionem Si culpâ tuâ non inieris , aut si pariter culpa tuâ ejus fructus non percipias , tamen officium recitare teneris quia debes id

tibi imputare; & quia non potes licetè private Ecclesiam debito officio. Si verò sine culpa aut possessionem non ineas, aut redditus nullos percipias, non teneris officium recitare.

C O N S E C T. II. Pensio Clericalis obligat pensionarium ad recitandum officium Beatæ Virginis. ita constitutio Pii V. Pensionarios serio monitos esse volumus eos ad officium Beatæ Virginis quotidie recitandum teneri. Præter peccatum mortale, quod committunt, si omiserint restitutionis onere obstrictos declaramus. Et quamvis hæc constitutio non sit ubique recepta, ut lex, habet tamen vim, si non legis, saltem Piæ ordinationis, cui resistere nefas est.

C O N S E C T. III. Beneficium, quamvis tenue, obligat ad horas Canonicas. Non excusare se possunt ratione exiguitatis Beneficii, si ex eo non percipient necessaria; sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud institulari. Cap. dolentes de celebratione Missarum. Sicut, inquit glossa, vir tenetur ministrare necessaria uxori, quæ tamen est talis, quæ ei reddere debitum non valet: ita clericus qui non percipit necessaria ab Ecclesia, tenetur officiare Ecclesiæ, licet pauper sit, & dicere cum Apostolo: Scio & abundare & cœsire. Idem tenet Antoninus 3. P. tit. 13. Cap. 4. §. 42. Quia onus illud sibi imposuerunt Clerici acceptando Beneficium. Si esset tamen aliqua consuetudo contraria ab Episcop. approbata dispensans ab officio Clericum tunc Beneficium possidens, posset hæc consuetudo sine peccato observari.

Con-

C O N S E C T. IV. *De Clericis in sacro constitutis.* Ordinari sacer obligat ad horas Canonicas; quia per illum Clericus immobilitate Deo consecratur; qui verò sacris iniciati Beneficium Ecclesiasticum non habent, si prætermiserint officium, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertisatur, inquit, Concil. Medioli. sum. p. 2a. Cap. 21.

C O N S E C. V. *De Monachis, & Monialibus.* Professio Religiosa deputans ad chorum obligat ad horas Canonicas, inquit Concil. Cabellionense 3^o. Cap. 19. quia per illam deputantur ad cultum divinum. Cui videtur favere illud Isaï 23. *O nomen illum, qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum.* Novitii verò non tenentur recitare officium; quia non sunt Professi. Laici conversi non tenentur pariter; quia non sunt choro duputati. Religiosi Jesuitæ, militares, hospitalarii, et si verè Religiosi, non tenentur recitare Officium; quia non sunt choro destinati.

ARTICULUS III.

Qualis sit obligatio Clericorum & Monachorum, qui tenentur recitare horas Canonicas.

P R O P O S I T I O I. *Quicumque tenetur officium recitare, peccat mortaliter, si sine causâ horas, vel notabilem earum partem omittat.*

Probatur 1^o. Ex Alcuino. Qui omiserat horas Canonicas subjiciebat illam omissionem Sacramentali Confessioni, quæ tunc ut pluri-

110 MORALIS CHRISTIANA;

mūni siebat de solis peccatis mortalibus. Sie enim habet formula Confessionis apud Alcuinum , peccavi , quod negligens fui de meo cursu quem per horas Canonicas exsolvere debui.

2º. Ex factis. Qui omiserat horas Canonicas , coram judice Ecclesiastico tamquam reus de gravi delicto accusabatur , ut patet exemplo Joannis 12. cui illud exprobatum est. Idem patet exemplo Joannis 23. cui idem crimen in Concilio Constantiensi suit objectum.

3º. Ex D. Carolo Borromæo , qui vocat omissionem Breviarii grave peccatum. Concilium Aquisiense anno 1596. vocat peccati mortalis reatum eandem omissionem. Idem censem unanimitate omnes Theologi & Canonistæ.

Consecaria bujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccat , qui sine causâ omittit officium v. g. Qui id facit , ut genio indulget , ut studio litterarum vacet ; qui Breviarium projicit in mare , ut fiat impotens recitandi officii ; quia excusationes illæ sunt injustæ & irrationales.

CONSEC. II. Peccat mortaliter , qui ex levi infirmitate omittit officium. Meminerit se febri . morbove levi aliquo laborantem , non justam propterea excusationem habere , quam ob rem illud intermittat , omittatve , inquit Concil. Mediol. 4. de vita & honestate Clericorum.

CONSEC. III. Peccant mortaliter , qui partem aliquam notabilem officii omit-

DE STATU CLERICALI. III
tit, qualis est v. g. hora integra, sine causâ.

CONSECRARIUM IV. Peccat, qui non valens totum officium recitare, non recitat eam partem, quam potest recitare; quia damnata est sequens propositio. *Qui non potest recitare matutinum & laudes, potest autem reliquias horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

CONSECRARIUM V. Non peccat, qui vel totum officium, vel aliquam ejus partem omittit, v. g. Si cum infirmitatis gravitas excusat; ut dicit Concilium Marciacense Can. 19. Si eum alio vocaret charitatis exercitium, v. g. administratio Sacramentorum; quia, iuquum foret, si statuta pro solâ charitate contra charitatem violare teneatur, ut ait Bernardus libro de pæcepto & dispensatione Cap. II.

PROPOSITIO II. Qui habet aliquod Beneficium, si omittat horas Canonicas, præter mortale peccatum, quod incurrit, tenetur ad restitucionem fructuum perceptorum pro ratâ omissi officii parte.

Probatur 1^o. Ex Concilio Lateranensi. scil. 9. In quo statuitur, Ut quilibet.. Habet Beneficium cum curâ, vel sine curâ, si post sex menses ab oblieno Beneficio, divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cesseante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro ratâ omissione recitationis Officij; sed eos tamquam injustè perceptos in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel in pauperum Eleemosinas erogare teneatur. Idem jubet Pius III. Const. 135. quæ incipit Ex proximo.

2^o. Ratione, Beneficiatus omittens offi-

cium peccat contra justitiam , cum sit per Beneficium quasi conductus ab Ecclesia , ut recitet horas canonicas : ergo tenetur ad restitutionem .

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Qui tenentur recitare Officium , vel ex vi solius Ordinis sacri , vel ex vi solius professionis Religiosæ , non tenentur ad restitutionem ; quia non percipiunt redditus Ecclesiasticos , sed solum ad pœnitendum .

C O N S E C T A R I U M II. Qui alia onera habent præter recitationem Officii , v. g. Episcopi , Curati , tenentur quidem restituere fructus perceptos ; sed possunt retinere aliiquid , quod respondeat prædictis oneribus ; quia concilium jubens restitutionem fieri pro rata omissione recitationis Officii , non privat justâ retributione , quæ debetur beneficiatis ob ministeria , quæ exhibent , vel Ecclesiae , vel fidelibus .

C O S E C T . III. Beneficiarii , qui tenentur recitare officium , illudque omittunt , debent computare redditus Beneficii , & pro rata cuiuslibet diei retributione restituere fructus perceptos , v. g. si beneficium annuè reddat 366. libras , pro omissione integri officii debet pro quolibet die unam libram restituere , & sic proportione servatâ , pro qualibet parte omissâ .

C O S E C T . IV. Beneficiarii choro addicti , & si recitent officium extra chorum , non possunt retinere illas fructus , qui dantur titu-

lo præsentia, & assistentia, & si recipiant, tenentur restituere. Ita Trident. Ses. 24. De reform. cap. 12. renovans statutum Bonifacii 8. quod incipit, *Consuetudinem.* *Qui non sunt præsentes choro, si recipiant fructus destinatos his solum, qui sunt præsentes, tenentur restituere.* Exceptis iis quos infirmitas, cœn justa, & rationalis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesie utilitas, excusaret cap. *Consuetudinem in 6°. de Clericis non residentibus.*

C O N S E C T. V. *Qui addicti sunt choro, v. g. Canonici, Præbendarii, &c. Tenentur non solum attendere psallentibus, sed etiam debent & ipsi psaltere, & cantare; quia ad id munus sunt deputati.* Id expresse jubet Concilium Basiliense Ses. 22. cap. 3. *cum, inquit, psallendi gratia ibidem convenient, juncta & clausa labia tenere non debent, sed omnes, præseriū qui majori funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur Horum autem transgressores plectantur pena.* Quod indicat eos teneri ad restitucionem aliquam propter cantus omissionem, idem jubet Trident. Ses. 24. cap. 12. *Omnis vere canonici divina per se Compellantur obire officia & in choro ad psallendum instituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devotèque laudare.* Ratio autem convincit eos, & peccare, & teneri ad restitucionem. Ut enim Parochus non facit fructus suos, si resideat solum corporaliter, ita nec Canonicus, si adsit in choro tacens & mutus; quia ejus est Dei laudes canere. Si enim Capitulum, canendo Officium divinum, celebrare debeat, ad idem munus tenentur singula-

114 MORALIS CHRISTIANA.
eius Capituli membra. Unde non video quo pacto excusari possit ea consuetudo, quā in quibusdam Ecclesiis Canonici cantant per substitutos Sacerdotes. Quippe sicuti non possunt choro assistere per Vicarios, ita nec cantare; tum quia usus ille non usus est, sed abusus; non consuetudo, sed corruptela, cum deroget Juri communi, & à nullo Concilio approbatur. Quin imò reprobetur, ut patet ex verbis concilii Basiliensis. Et Trident. Supra citatis, quibus adiungi possunt alia Concilia. Concil. Cameracens. an. 1565. Sic habet. Canonici omnes qui in Choro fuerint, & sacellani psallant, nec sint in sedibus suis otiosi: nec putent se functiones Officio, si Vicariā tantum operā cultum divinum celebrari carent. Idem habet Concil. Burdigal. an. 1583. & Turonense eodem anno habitum, & demum Concil. Mediola. i. sit Canonici, qui huic Officio defuerint, pro absentibus habeantur, & earum horarum, quas ea ratione obierint, distributionibus multentur.

ARTICULUS IV.

De modo interno & externo recitandi Officium divinum, tam privatim, quam publicè.

PROPOSITIO unica. Quicumque teneantur Officium divinum recitare, debent id præstare cum eā intentione internā, quam exigit oratio, & cum eo rito externo, quem præscribit Ecclesia.

Probatur 1°. Scripturā. *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter: ergo opus Dei, quæ*

lis est recitatio Officii divini, debet fieri,
& cum internâ devotione, & cum externâ
gravitate.

2º. Ex Jure canonico. Districtè præcipimus in
virtute obediencie, ut divinum Officium noe-
turnum pariter & diurnum, quantum eis dede-
rit Deus, studiosè celebrent, pariter & devo-
te. cap. Dolentes. De celebratione Missarum.
Devotè, en attentio interna; studiosè, en ri-
tus externus.

3º. Ratione. Officium Ecclesiasticum deber-
spectari, 1º. ut oratio, 2º. ut oratio publica,
quatenus oratio, exigit attentionem; quia
attentio est de essentiâ orationis. Quatenus
oratio publica, exigit ritus ab Ecclesiâ præ-
scriptos; quia ex Trident. Ses. 24. de Reform.
cap. 12. Cætera, quæ ad debitum in divinis of-
ficiis regimem spectant, Synodus Provincialis . . .
certum cuique formulam præscribet. .

Consecaria hujus Doctrinæ:

CONSECTARIUM I. Non satisfaciunt
recitationi divini Officii, qui illud recitant
sine attentione, vel actuali, vel virtuali ter-
minata, vel ad sensum verborum, applican-
do affectum, vel ad id, quod verbis signifi-
catur, vel ad Deum, vel ad Christum, vel
ad id, quod petitur, scilicet ad gratiam, aut
virtutem, quam à Deo per Christum peti-
mus. Psallentes sine ullâ attentione, ita in-
culpat Christus: *Hypocritæ bene prophetavit
de vobis Isaïas dicens: populus hic labiis me ho-
norat, cor autem eorum longè est à me.* Math. 15.
v. 7. & ita, inquit Antoninus, *Qui inter re-*

116 MORALIS CHRISTIANA.

citando Officium, advertentier occupat se ad locum aliquam impossibili cum attenzione internâ, v.g. scribit, legit, confabulatur, occupatur manualibus, non satisfacit recitationi Officii. In Conf. 3a. parte interrogatorii. cap. II. De Clericis in communi.

CONSEC. II. Horis canonicis debitè non satisfaciunt, qui recitant Officium sine pronunciatione vocali exteriori, integrâ, & gravi; quia Ecclesia jubet, ut Officium recitetur, 1º. vocaliter exterius, ut nedum mens, sed etiam corpus exultet Deo, juxta illud Os ex ultimo: *Reddemus vitulum labiorum nostrorum, & juxta illud Psal. 15. v. 9. Læcatum est cor meum, exultavit lingua mea.*

CONSECTARIUM III. Officium non recitant, ut oportet, & qui sacram illam actionem sine causâ intermittunt, & qui aliam intermiscent; quia officium recitandum est, non syncopando verba, neque alia miscendo. Clementina unica; De celebratione Missarum, unde non satisfaciunt horis Canonicis, qui Psallendo. I. Confabulantur, mussitant, ut ait Concilium Coloniense 2^{um}. parte 3a. can. 6. II. Qui ita festinanter recitant, ut vix possint intelligi. Concilium Lateranense 4^{um}. cap. 17. III. Qui recitant truncatis verbis, vel intra fauces murmurando, nec articulate, nec distincte. Concil Senon. de horis Canonicis. IV. Qui actione aliquam cum Officio incompositi bili occupantur, ut diximus ex Antonino.

CONSEC. IV. Officio recitando planè non satisfaciunt, qui omittunt ritum exterrnum præscriptum ab Ecclesia, vel quoad qualitatem, dicendo Officium pro Officio, vel

quoad quantitatem, non recitando aliquam ex septem horis; quia non servant usum Ecclesiæ. Ita D. Thomas Quolibeto 3. q. 13. art. 2.

C O N S E C. V. Non planè pariter horas Canonicas, ut oportet, recitant, qui sine causâ omittunt ritum externum præscriptum ab Ecclesiâ, vel quoad ordinem horarum, vel quoad locum, vel quoad tempus; quia non servant Ecclesiæ usum, qui sine causâ perverti non debet.

Ordo horarum est, ut 1^o. matutinum, deinde laudes, posteà primam, tertiam, sextam, nonam, vespertas, postremò completorium recites.

Tempus verò est, ut intra viginti quatuor horas ejusdem diei integrum recitetur officium.

Locus verò est Ecclesia, si Officium canatur publicè, ut habetur distinc. 92. Si verò Officium recitetur privatim, quilibet locus alienus à tumultu est Officio recitanda idoneus; quia Deus ubique est.

C A P U T I V.

De obligationibus, quæ Clericos non ita rigide ligant; sicuti Monachos, v. g. de Paupertate, Castitate, & obedientia Clericorum.

Icet Clerici paupertatem, castitatem, & obedientiam non voveant, sicuti Religiosi, tenentur tamen eas virtutes prout eorum status exigit, exercere. Quocirca qualis de-

118 MORALIS CHRISTIANA.
beat esse paupertas , castitas , & obedientia
Clericorum , hic paucis expendemus.

ARTICULUS I.

De Dominio Clericorum.

PROPOSITIO I. Ecclesia est capax Domini bonorum temporalium , tum mobilium , tum immobilium.

Probatur 1°. Scripturâ. Sinagoga habuit verum Dominium bonorum temporalium ; nam Levitis assignatae sunt quadraginta & octo verbes. Josue 21. datæ sunt eis & decimæ omnium fructuum , & pars præcipua in Sacrificiis : ergo & Ecclesia , quæ in hoc non debet esse inferior Sinagogâ , habet Dominium bonorum temporalium.

2°. Ex Concilis. In Calcedonensi cap. 22. districtius inhibetur Clericis , ne post mortem Episcopi rapiant res ad eum pertinentes , quod indicio est Episcopos habere aliquid sibi proprium. Et in Constantiensi Ses. 8a. damnantur illi Articuli , in quibus Wiclef docet vetitum esse Clericis bona temporalia possidere.

3°. Ratione. Nulla Respublica potest stare si ne adminiculo bonorum temporalium , quibus necessitatibus suis subveniat : ergo cum Ecclesia sit respublica , debet habere verum Dominium bonorum temporalium. Ideo tempore Christi Ecclesia loculos habebat. Joan. 12. v. 6. Tempore Apostolorum pretia bonorum vendorum à fidelibus dabantur Ecclesiæ Act. 2. & 4. Temporibus vero succedentibus Ecclesia bona temporalia diversi generis comparavit. ;

4° Nemo obligatur ad id , quod est super erogationis , nisi ad id voto se obstrinxerit , ut optimè ait Augustinus Epistola ad Paulinum & Armentarium. Profiteri autem paupertatem res est supererogationis : nam Math. 19. post præceptam observationem mandatorum , dicitur : *Si vis perfectus esse , vade , & vende omnia , quæ habes , & da pauperibus.* Quod dictum est ei , qui vult ingredi Religionem ; ei verò , qui vult Clericus fieri , dicitur in persona Simonis : *Petre , si diligis me , pasce oves meas :* Ergo status Monachalis exigit professionem paupertatis ; status verò Clericalis exigit ardenter zelum animatum.

ARTICULUS II.

*Qualis quantusqne debeat esse amor paupertatis
in clericis.*

PROPOSITIO unica. Qualis quantusque debeat esse amor paupertatis in Clericis , ostendunt Exempla Christi , Apostolorum , & antiquorum Episcoporum.

Christus enim ait de se ipso : *Filius hominis non habet , ubi caput reclinet.* Nascitur pauper in præsepio ; vitam degit pauperrimam , ex labore manuum suarum , & eleemosinis visitans , demum moritur nudus in Cruce. Apostoli vero hoc per Paulum contestantur : *Habentes victum & vestitum ; his contenti simus.* Nihil habentes , inquit idem Paulus , & *Omnia possidentes.* Et Petrus in persona singulorum Apostolorum ait : *Argenium & aurum non est mihi.* Altè quippe omnium Apostolorum menti-

bus infixum erat istud Christi perpetuum : Nolite , inquit , possidere aurum , neque argen-
tum , neque pecuniam , in Zonis vestris , non pe-
ram in via , neque duas tunicas , neque calcea-
menta , neque virgam : dignus enim est operarius
cibo suo , quibus certe verbis omnis super-
fluitas Evangelicis operatiis interdicitur .

Exemplum autem Christi , & Apostolorum
exactè secuti sunt insigniores Episcopi . Ego ,
inquit Chrysostomus , audenter dixerim Ec-
clesiae præsulens nihil præter vietum & vestitum
habere oportere . Hom . 15 in I. Tim . Lex Chris-
ti , inquit Origenes homil . . 15. in Leviti-
cum , nec possessiones in urbe , nec in urbibus
Domos habere permittit ; & quid dico domos ,
nec plures tunicas , nec multam concedit posside-
re pecuniam , scilicet ultrà necessitatem . Ideo
addit .

Habentes enim vietum & vestitum , his con-
tenti simus . Et quidem quæ verbis promebant ,
id exemplis suis confirmarunt egregii illi Ec-
clesiae pastores . De omnibus dici potest , quod
Possidius dixit de Beato Aug . Magnus , in-
quit , Augustinus testamentum nullum fecit ;
quia unde ficeret , pauper Christi non habuit .
Possidius in vita Aug .

Eundem erga paupertatem Evangelicam
inspirat amorem , vel ipsum Cleros nomen ,
quo instruimus non ad divitias , sed ad pau-
pertatem vocatos . Si autem ego Domini pars
sum . . nudam crucem nudus sequar , inquit
Hyeron . Epist . 2. vis scire , inquit Origenes ,
Quid intersit inter Sacerdotes Dei , & Sacerdo-
tes Pharaonis , Pharaon terras concedit Sacerdo-
tibus suis , Dominus autem Sacerdotibus suis par-
tem

tem non concedit in terra, sed dicit eis: Ego sum pars vestra. Homil. 16. in Genes. Quāāī verò ardentē Ecclesia semper optaverit Clericos à divitiis abhorrire, vel inde colligo manifeste, quod neminem in album suorum ministrorum adscribere vulgo voluerit, qui egenus non esset, vel conditione, vel voluntate. Clerici sunt, inquit Concilium Aquisgranense. Quos pauperes, aut voluntas, aut nativitas facit. Can. 108. & Author sermonum ad' fratres de Eremo. *Quicumque, inquit, habet aliquid, aut vendat, & erroget, aut donet, & commune faciat.* Serm. 52. & Aug. lib. de moribus Eccles. cap. 31. Loquens de Clericis potius quam de Monachis. *Nullo modo, inquit, satagunt ut hæc mundi commoda sibi abundant, sed omnia agunt, ut non apud se remaneat, quod abundaverit.*

ARTICULUS III.

De Castitate à Clericis observanda.

Castitas est à Clericis impensè observanda, sive id procedat ex Constitutione Ecclesiasticâ, sive id procedat ex voto, quod Subdiaconi eliciant in susceptione Subdiaconatus.

Probatur 1º. Scriptura. Necessitas, quam habent Clerici observandi castitatem, videtur esse adumbrata in Scriptura per eam castitatem, quam Deus, Christus, & Maria, & Sacerdotes Levitici observarunt: nam pater æternus fœcundus est, simul & virgo; non enim actione carnali, sed spirituali intellectio-

ne producit verbum sibi consubstantiale; pa-
ter, & filius amore casto & virginali produ-
cunt Spiritum sanctum.

Maria Christum Deum & Hominem gene-
rat; ita tamen ut Virgo sit ante Conceptio-
nem, in ipsa Conceptione, & post concep-
tionem.

Christus ex Virgine natus, despensando Ec-
clesiam, eam Virginem efficit & fœcundam.

Sacerdotes Levitici generis toto tempore
Ministerii sui abstinent à mulieribus; quia
propositionis panes contingunt: ergo decet,
ut Ministri Legis Evangelicæ castitatem Dei,
Christi, & Mariæ imitentur; & cum quoti-
diè offerre possint Christum Agnum imma-
culatum, oportet ut semper à mulieribus ab-
stineant, & non solum certis temporibus,
uti abstinebant Sacerdotes Levitici.

2º. Ex Conciliis, quibus Presbyteris, Dia-
conis, imò Subdiaconis continentia præcipi-
tur. Sic enim Canon Apostolicus 27. Loqui-
tur. *Inzupii autem, qui ad Clerum provec-
ti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores
accipiant: sed lectores, cantoresque tantummo-
do, indicans Episcopis, Presbyteris, Dia-
conis, imò et Subdiaconis interdictum esse
omnino matrimonium Quam disciplinam con-
stanter in Ecclesiâ observatam esse declarat
Quini sextum Concilium in Trullo habitum,*
ita enim loquitur Canone 6. *Quoniam, in-
quit, in Apostolicis Canonibus dictum est, co-
rum, qui, non dubia uxore, in clerum promoven-
tur, solos Lectores & Cantores uxorem posse
ducere; & nos hoc servantes decernimus, ut
deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Dia-*

eono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. Quæ Lex ut religiosè observaretur, Justinianus novel. 22. cap. 42. tit. 1. Eam suo edicto sic firmatam voluit. Si quis, inquit, inter Reverendissimos constitutus Clericos, ultra canorem & Lectorem dicimus, omnino contraixerit nuptias, hunc ex nostra constitutione cedere Sacerdotio constituimus, atque volumus.

3º. Ex Patribus. Omnibus Castitas necessaria est, sed maximè ministri Ecclesie, quorum vita aliorum debet esse eruditio. Aug. Sermone 10. Dom. 25. & libro 2. Cap. 12. De adulterinis conjugiis docet, quod Ministri inviti ordinati castitatem observare debent. Quid si & vos ad hoc subeundum populorum violentiam eaperemini. Nonne susceptum castè custodireis Officium. Hierony. verò rem ex professo agitans contra Jovinianum, sic scribit. Episcopi, inquit, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut videti, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici. Non loquitur de Subdiaconis; quia nondum lata fuerat lex generalis obligans Subdiaconos ad continentiam. Et urgens eundem Jovinianum, qui volebat matrimonium Clericis esse imperatum, sic habet: Quid facient, inquit, orientis Ecclesie, quid Ægypti, & sedis Apostolicae, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistant.

4º. Ratione. Clerici, ut pote Ministri Ecclesie, 1º. Debent esse mediatores inter Deum & homines. ergo debent esse casti; quia castitas nos facit proximos Deo. 2º. Debent esse addicti rebus divinis: hoc autem

habetur per castitatem. Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem est cum uxore, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. ia. Ad Corinthi Cap. 7. v. 32. Et si affectus erga nepotes tot malorum Seminarium est in Sacerdotibus, quantorum malorum origo esset affectus erga uxores, erga filios, erga generos, &c. qui ardenter esset, si Sacerdotes essent conjugati. 3^o. Debent ferre vasa Domini: ergo debent esse casti, juxta illud. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Clerici debent fugere, quidquid accedit ad incontinentiam. *Omnis fornicatio, & immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Santos.* Ad Ephes. Cap. 5. v. 3. Memores punitionis contra Ozam exercitæ, qui juxta plures interpretes occisus est, ed quodd licet pollutus aliquâ immundicie, arcam ausus est contingere. *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.* 2^o. Reg. Cap. 6. v. 7.

C O N S E C T A F I U M II. Horrere debent Clerici quarumcumque mulierum societatem. *Pepigi fœdus, inquit Job, cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de muliere.* 31. v. 1. Etenim, ut ait, Eccles. *De vestimento procedit tinea, à muliere iniqitas viri.* 42. v. 13. De quo ita Origenes. *Semel dixerim omnis inconveniens sodalitas mulieris, gluens est delictorum, & viscum toxicarum, quo diabolus*

ancupatur. Nam si modo putabimus nos inten-
tabiles esse muliebribus jaculis, quid ergo restat
celestibus regnis. Nec quisquam sibi proponat, &
dicat: habere volo, quod vincam, hoc est dicere,
vivere desidero sub rhind... numquam securus
cum thesauro latro tenerur inclusus: nec intraz
unam caveam habitans cum lupo tutus est ag-
nus; duæ facultæ junctæ simul ambæ accenduntur.

C O N S E C T A R I U M III. Hortere debent
Clerici specialius devotarum mulierum, mo-
nialiumque societatem. Adolescentiores, ait
Paulus, viduas devia. 12. Ad Timotheum.
Cap. 5. v. 11. & Concilium Epaonense. an.
517. c. 38. Monasteria puellarum non nisi probatae
vita, & aetatis proiectæ ad quascumque
earum necessitates vel ministrations permittantur
intrare Clerici. Et Hieronymus ad Nepotianum.
Omnis puellas, & Virgines Christi, aut
equaliter ignora, aut equaliter dilige; ne sub
eodem testo mansues: nec in præteriâ castitate
confidas. Nec sanctior Davide, nec Salomone
potes esse sapientior. Memorio semper, quod
Paradisi Colonum de possessione suâ mulier eje-
cerit.

C O N S E C T. IV. Hortere debent Clerici
nimiam vini abundantiam. Nolite, inquit
Paulus, inebriari vino, in quo est luxuria. Ad
Ephes. 5. v. 18. Ebrietas & vinum auferunt
cor, inquit Ozeas 4. v. 11. Optimè enim ait
Hieronymus. Numquam ebriosum hominem cas-
tum putavi. Venter vino astuans spumar in li-
bidinem. Et Lateranense Concilium sub Inno-
centio tertio. Illum abusum decernimus penitus
amputandum, quo in quibusdam partibus Clericij
ad potus aequales se obligant.

CONSECT. V. Horrere debent Clerici otium. Multam enim malitiam docuit otiositas, inquit Eccles. 33. v. 29. Fugienda est, inquit Bernardus, otiositat mater nugarum, noverca virtutum. Libro 3. Confid. Cap. 13. Attentem perpendant Clerici illud Senecæ Monitum. Epist. 22. Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.

CONSECT. VI. Ut Clerici promissam servent continentiam I. Debent magni facere castitatem. O quam pulchra est casta generatio cum claritate, inquit Sapiens 4. v. 1. Hæc est virtus, quæ nos Angelos facit, sine qua vasæ Dei ferre non possumus, inquit August. Sermone 37. ad fratres. II. Debent magni facere orationem, sine quâ haberi non potest castitas. Nemo, inquit sapiens, continens esse potest, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum. Sap. 8. v. 21. Ideo Paulus libidinum stimulis. lancingatus ad orationem recurrerit. Propter quod terminum rogavi. 2a. Ad Corinth. Cap. 12. v. 8. Et Augustinus. Continentiam jubes, da, quod jubes, & jube, quod vis. lib. 10. Confes. Cap. 19. III. Debent studium præcipue Sacrarum litterarum magni facere; quia Sacra hæc lectio eos castos efficiet: alias infeliciter evenit, quod Ezechiel vaticinatur. Sacerdotes Dei inter Sanctum & profanum non habuerunt distaniam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt: qui evitat discere, incidet in mala. cap. 22. v. 26. IV. Debent carnis mortificationem amplecti: Mortificate, inquit Paulus, membra vestra, quæ sunt super terram; fornicati-

DE STATU CLERICALE. 127
tationem, immundiciam, libidinem, concupis-
centiam malam. Ad Colos. cap. 3. v. 5.

ARTICULUS IV.

De obedientia Clericorum.

PROPOSITIO unica. Clerici tenentur
obedire Episcopis in his, quæ spectant
regimen Ecclesiæ, & statum Clericalem.

Probatur 1º. Scripturâ. *Obedite præpositis
vestris, & subjecere eis; ipsi enim per vigilant,
quasi rationem reddituri pro animabus vestris,
ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes;
hoc enim non expedit vobis.* Ad Hebræos cap.
13. v. 17.

2º. Patribus. *Episcopum sequi omnes debetis;*
ut Jesus-Christus sequitur Patrem,
inquit ignatius, Epist. ad Smirnæos: Ergo si-
cuit Christus fuit pleæ subditus patri, ita &
Clerici debent esse subditi Episcopo. Et ad
Trallenses: *Necessarium est, quemadmodum fa-
citis, sine Episcopo nihil operari.* Et Hierony:
Ad Nepot. *Subditus esto Pontifici tuo, &
quasi animæ parentem eum suscipe.*

3º. Ratione. Actio, quâ sacerdotes pro-
mittunt Episcopo obedientiam, non est mi-
nus solemnis, quam actio, quâ Religiosi pro-
mittunt obedientiam superioribus suis; cum
inter Missarum solemnia, & in actuali recep-
tione Sacerdotii, interrogati ab Episcopo di-
cente. *Promittis Pontifici tuo reverentiam, &
obedientiam, respondeant: Promitto:* Ergo si
Religious teneatur obedire legitimo superio-
ri in his, quæ spectant regulam, Sacerdotes

128 MORALIS CRISTIANA.
tenentur obediens Episcopo in his, quæ pertain-
tent ad statum Clericalem.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Clerici omnes
Beneficiati, vel in Sacris constituti, tenentur
exactè observare omnia statuta suæ Dioce-
seos.

C O N S E C T A R I U M I I. Clerici non
possunt proprias Ecclesias deserere sine licen-
tiâ Episcopi, & vocati ab Episcopo, debent
redire, ut docet Canon. 15. Apostolorum si
quis, inquit, Presbiter, vel Diaconus, aut
de numero Clericorum quivis alius, suam Pa-
ræciam repudians, in alteram concesserit, &
omnino demigrans, agat in altera paræcia
præter voluntatem proprii Episcopi, jam non
amplius hunc m̄steriis operari permittimus,
ipsum maximè, suo si revocanti Episcopo,
ut redeat, non obediverit in sua inquietudi-
ne permanens, ut Laicus; ut Laicus tamen
ibi habitans communicet.

C O N S E C T A R I U M III. Clerici non
possunt sine licentiâ Episcopi è propriâ Dioce-
cesi exire, ita jubet Concilium Laodi. *Quod*
non oporteat Ministrum altaris, vel quemlibet
Clericum præter iussionem sui proficiisci Ponificis.
Can. 42. Ideo primis Ecclesiæ temporibus non
licebat Clericis ex sua Dioecesi exire, nisi
priùs litteras formatas à suo Episcopo acci-
pissent, ut habetur dist. 73. Can. 1. & 2.
Ubi referuntur duo exemplaria formulae litter-
aræ, in quorum uno hæc leguntur. Statutum
est à Sanctis Parisib⁹, neminem Clericum alie-

num, & ignotum recipi ab aliquo Episcopo, & inhibonizari in sua Ecclesia, nisi habeat à proprio Episcopo Epistolam, quæ in Canonibus nominatur FORMA T A.

CAPUT V.

De obligatione statutus Clericalis, quatenus est Ministerium, quo Clericus Deo consecratus, fidelium salutis procurandæ incumbit.

ARTICULUS I.

De Clericorum obligatione quoad verbi prædicationem, & Sacramentorum Collationem.

PROPOSITIO unica. Quilibet Clericus tenetur ex vi sui statutus juxta ministerii sui deputationem populorum saluti incumbere, Religionem docendo, & Sacramenta ministrando.

Probatur 1º. Scripturâ. Euntes, docete omnes gentes, baptisantes eos in Nominе Patris, & Filii, & Spiritus - Sancti. Math. Cap. 28. v. 19. Ergo Ministris Ecclesiæ duplex incumbit Officium, scilicet docere, & Sacraenta Ministrare.

Ex Patribus. Et 1º. Ex Hieron. In Cap. 4. Ad Eph. Qui enim, inquit, pastor est, tunc autem omnis Clericus addictus erat alicui Ecclesiæ ut Pastor, jam verò addicitur, ut cooperator, esse debet & Magister. Nec in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen debet assumere, nisi possit docere, quos pascit.

Ubi duplex Officium requirit in Clerico, scilicet ut pascat Sacramentis & ut instruat documentis. 2º. Ex Amb. lib. 1. De Offic. ubi loquens generaliter de Officio Sacerdotum hæc haberet. *Fam effugere non possumus Officium docendi*, & pariter sacra ministrandi, quod nobis effugientibus imposuit Sacerdotii necessitas. Ergo si duplex illud munus incumbat his Sacerdotibus, qui inviti sunt ordinati, à fortiori his, qui sponte ad serviendum Ecclesiæ se obtulerunt. Et Aug. Sic loquitur. *Quamvis assidue predicemus, minus tamen reddimus, quam debemus, dicente Scriptura. clama ne cesses.* Non dicit post multos dies, sed ne cesses.

3º. Ratione. Si Ecclesia est castorum acies ordinata. Cant. 6. v. 3. Non est sine ducibus, tribunis, & centurionibus, aliisque militiæ præfectis. Si est Grex & Ovile, Joan. 10. Pastores habet supremos & subalternos. Si est. Navis adstant Nautæ, & gubernatores; si autem sunt, haud dubiè Clerici, qui dicuntur Ministri Ecclesiæ: Ergo debent populum saluti ardentes insistere, docendo Religionem, & Sacraenta Ministrando; quia in hac militiâ non aliter decertatur, quam per fidem, & gratiam; fidem autem ex auditu Verbi Divini concipimus, gratiam vero ex Sacramentorum fontibus haurimus. Hujus regis oves non alio pabulo nutriuntur, quam verbo & Sacramentis. Navis hæc inter scopulos & Syrtes periculosè navigat, nisi verbo dirigatur & Sacramentis roboretur.

Ecclesia est corpus mysticum, cuius caput Christus est, fideles vero membra: Ergo oportet esse in Ecclesia Ministros Christi, qui

ministerialiter faciant , quod Christus facit principaliter ; & ita qui & populum doceant , eique Sacra menta ministrent ; ideo enim statuti in Ecclesia ; juxta illud Pauli ad Epes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos ; quosdam autem Prophetas ; alios verò Evangelistas ; alios autem pastores , & Doctores , ad consummationem Sanctorum , in opus Ministerii , in edificationem corporis Christi , donec oceurramus omnes in unitatem fidei , & agnitionis Filii Dei , in virum perfectum , in mensuram etatis plenitudinis Christi : ut jam non simus parvuli fluctuantes omni vento Doctrinae , &c.* Ergo Clerici omnes debent huic operi , quisque juxta modum suum , insistere.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T. I. Omnes Clerici tenentur ex vi sui statū , quilibet pro suo modulo , populos & verbo docere , & Sacra mentis munire , uti fecerunt Christus & Apostoli ; sunt enim lux mundi : ergo debent populos docere ; juxta illud Pauli. Ad Tim. 4. v. 13. *Dum venio , atende lectioni exhortationi : attende tibi & Doctrinae ; & insta in illis.* Sunt Pontifices aut Ministri Pontificum ; ergo debent Sacra menta conferre , aut Sacra mentorum collationi inservire. *Clericus est , qui Christi servit Ecclesiae , inquit Hierony. ad Nepoti. & Trident.* Clerici se non ad propria commoda , non ad divitias , aut ad luxum , sed ad labores , & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligent. sess. 25. Cap. 1. de reformatione.

C O N S E C. II. Clerici , qui sunt in aliquā

societate, cuius institutum est docere, & Sacra menta conferre, tenentur specialius ad illud officium; quia tenentur ad hoc primò ex vi Clericatus, secundò ex vi instituti. Tales sunt Fratres Sancti Dominici, Sancti Francisci, Patres Societatis Jesu, Patres Oratorii, Doctrinæ Christianæ, Missionis &c. Quia talis est illarum Societatum finis & institutio. Cuilibet ex illis Clericis dictum est: *Fili, hominis speculatorum dedi te domum Israël.* Ezech. 3. v. 17. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Isaï 58. v. 1.

CONSECTARIUM IIII. Clerici, qui nullum habent Beneficium Ecclesiasticum, sed ordinati sunt sub titulo patrimonii, non quidem ex justitiâ, sed ex vi suæ ordinationis, tenentur ad utrumque illud munus; quia Ecclesia non concessit Sacramentum ordinis, nisi eâ sub spe, quod tamquam auxiliares Ministri fidelibus Sacra menta administrarent, & Verbum divinum annuntiarent: ideo illis non minus, quam Beneficiatis dicit Episcopus. *Promittis mihi obedientiam ipsique respondent.* Promitto: & certè si potiantur prævilegiis Clericorum cur Clericorum officiis non occupabuntur: *Quot quot enim sumus Christi Sacerdotii participes, oportet pariter, ut simus imitatores illius zeli, quo erga dominum Dei seu Ecclesiam comedebatur.* Quorsum ad Christi exemplum non incipi emus facere & docere? quorsum pauperibus non Evangelizabimus. Quorsum non circumibimus villas & vicos, prædicantes Evangelium Regni. Quorsum demum, cum messis multa sit, & operarii pauci, non rogabimus Patrem Familias,

ut mittat nos operarios in ejus vineam. Quid stabimus tota die otiosi. Cur Episcopos non rogabimus , ut committant nobis ; non nobiles , non divites , sed pauperes , & plebeios instruendos.

C O N S E C T A R I U M IV. Clerici , qui habent Beneficium , cui annexa est cura animarum , longè adhuc strictius ad hoc manus obligantur ; qui à eis hęc cura specialissimè demandata est. *Non ne greges à Pastoribus pascuntur ,* ait Ezech cap. 34. v. 2. *Quicumque Parochiales , vel alias curam animarum habentes , per se , vel per alios idoneos , si legitimè impediti fuerint , diebus saltem Dominis , & Festorum solemnitatibus , plebes sibi commissas pro suā & earum capacitate pascant salutaribus verbis , docendo , que scire omnibus necessarium est ad salutem ,* inquit Tridentinum sess. 24. Cap. 7.

C O N S E C T A R I U M V. Omnes Clerici , cujuscumque sint statūs , qui in occasionib⁹ opportuni⁹ non instruunt populos , nec eos , eum oportet . Sacramentis præmuniunt divinam istam exprobationem præmetuantur. *Párvuli petierunt panem , & non erat , qui frangeret eis Thren. 4. v. 4.* Et istud : *væ vobis quia tulistis clavem scientie.* Luc cap. 11. v. 52. audiant illud Isidori sententiarum lib. 3. cap. 46. *Sacerdotes populorum iniquitate damnantur , si eos aut ignorantēs non erudiant , aut peccantes non arguant.* Quos ita præmonet Prosper de vita contemplativa lib. 1. cap. 20. *Quid prodest non puniri suo , qui alieno puniendus est peccato.* Et Isaías : *Væ mihi , quia tacui.* 6. v. 5. & Ezechiel : *si me dicente ad impium , impie morie*

morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius à vita suā; ipse impius in iniquitate morietur, sanguinem autem ejus de manu tuā requiram.

Cap. 33. v. 81

PROPOSITIO II. Oportet in docendis populis, & in Sacrementis ministrandis eam methodum adhibere, quā Christus, & Apostoli usi sunt.

Probatur. 1º. Scripturā. Exemplum dedi *vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joan. 13. v. 15. & Paulus. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1a. Ad. Cotinth II. v. 1. ergo in animarum cura oportet Christum & Apostolos imitari.

2º. Ex Greg. *Ars artium regimen animarum* Et ex Triden. sess. 6. Cap. 1. *Onus est Angelicis humeris formidandum:* ergo exigitur, ut qui eam artem exercet, aliquod sibi exemplar proponat; & proinde quod ea utatur methodo, quam Christus & Apostoli nobis verbo & exemplo traxiderunt.

3º. Ratione. Medicus, hoc ipso quod est medicus, tenetur, vel ex charitate, vel ex justitia medicinam juxta regulas artis exercere. Nauta pariter navem juxta regulas artis dirigere. Et dux milites juxta regulas militiae exercere: ergo & Clericus, vel ex justitia, si sit pastor, vel ex charitate, si sit simplex Clericus, tenetur fidelibus Laicis juxta regulas à Christo & Apostolis præscriptas, tum Sacmentorum administratione, tum & verbī divini prædicatione providere quod officium vel charitatis vel justitiae si omiserit, timeat illud Ezechielis 34. v. 2. *Vae pastori bus Israël . . . Quod infirmum fuit, non con-*

solidastis ; quod agrum , non sanastis ; quod contractum , non alligastis ; quod abjectum est , non reduxitis Quod perierat , requiram ; & quod abjectum erat , reducam ; & quod contractum erat , alligabo : & quod insimum fuerat , consolidabo ; & quod sanguine & ferte , custodiam , & poscam illas in iudicio .. Ita tamen , ut ait Ezechiel , ut sanguinem ejus peccatoris percuntis de manu tua requiram 3 v. 20.

Consecataria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Clerici , antequam instruant populos , eisve Sacra menta administrent , debent circa Religionem Christianam , & Sacramentorum administrationem institui , ut rite monet Hierony. Epist. 4a. Ad Euseb. Si Clericatus , inquit , te titillat desiderium , discas , quod possis docere , & rationabilem Christo hostiam offeras , ne sis miles , antequam tyro , ne prius Magister , quam discipulus.

CONSECTARIUM II. Clerici docentes debent prius sacere , quam docere , ut dicit Lucas de Christo : Cœpit Jesus facere , & docere. Act. 1. v. 1. & Paulus instruens Titum : In omnibus te ipsum præbe exemplum. 2. v. 7.

CONSECTARIUM III. Clerici docentes debent se omnium captui accommodare ; Christus enim rudioribus populis sermones suos attemperabat , & sine parabolis non loquebatur eis , inquit Evangelium : Paulus vero de se ait ; Omnis omnia factus sum. 1a. Ad Corinth. Cap. 9. v. 22. Iac vobis potum dedi , non escam 1a. P. Cor. 3. v. 2. & Hie-

tony ad Lætam. *Balbuienit senex verba formabo, multò gloriōsor mundi Philosopho, qui non Regem mundi Babilonio peritum veneno, sed ancillam sponsam Christi erudiam regnis cœlestibus inferendam.*

CONSECTARIUM IV. Clerici, tum fidem docentes, tum sacra Ministrantes debent omnem speciem lucri longè abijcere; nihil est enim, quod Deus magis in suis ministris horreat; loquens enim de futuro reprobatae Sinagogæ excidio ait; *Priuclipes ejus in muneribus judicabaut, Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant.* Mich. Cap. 3. v. 11.

CONSEC. V. Clerici, tum docentes fidem, tum Sacraenta Ministrantes, nullum, quantumvis infimæ sortis, aut crassi ingenii, debent abijcere; nam Christus de se ait; *Pauperibus Evangelisare misit me.* Luc 4. v. 18. *Parvulos finie venire ad me.* Malh 19. 14. & Paulus: *Sapienibus, & insipientibus debitor sum.* Ad Rom. v. 14. *Tessis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Christi.* Ad Phil. p. 1. v. 3. *Quis infirmatur, & ego non infirmor; quis scandalisatur & ego non uror.* 23. Ad Corinth. Cap. 11. v. 19 *Ego libentissime impendar, & super impendar ipse pro animabus vestris.* 2^o. Ad Corinth. Cap. 12. v. 15.

CONSEC. VI. Clerici sacra ministrantes, debent & dignos gratis ad Scramenta admittere, juxta illud Christi: *Gratis accepistis, gratis date,* Math. 10. v. 3. & indignos arretere, juxta illud Christi: *Nolite dare sanctum canibus.* Math. 7. v. 6. De quo late 7^o. Tomo ubi de Sacramentis.

ARTICULUS II.

Quæ, & quanta sit Clericorum eminentia, ex eo quod potestatem habeant instruendi fideles per prædicationem verbi, eosque nutriendi per Sacramentorum administrationem.

PROPOSITIO unica. Nullum est in Ecclesia officium sublimius, quam munus prædicandi verbum Dei, & autoritas conferendi Sacra menta.

Probatur 1°. Scripturâ Nulla est tanta potestas; quæ à Deo creaturis impetriri queat quanta est potestas remittendi peccata, de quâ ipsi Judæi annuente Christo: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* Luc V. Atqui Clerici Verbum & Sacra menta administrantes, potestatem habent remittendi peccata; ergo & dignitatem, quâ major non potest concipi. Et sicut Matrém esse Dei, summa est, quæ in puram creaturam cadat. Dignitas infinita etiam quodammodo est ea vis, quâ Clerici vel Verbum prædicantes, vel Sacra menta ministrantes, Christum in membris fidelium procreant, sicuti Maria in alvo sua sanctissima prima omnium procreavit.

2°. Ex Concilio Trident. sessi. 7. Can. X. Ubi sic habetur: *Si quis dixerit Christianos omnes in Verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.* Quo decreto satis aperte indicat Concilium munus prædicandi, & Sacra menta administrandi, officium esse non commune Laicis, sed solis Clericis speciale, & quibuscumque

138 MORALIS CHRISTIANA
dignitatibus Laicalibus longè sublimius.

3º. Patribus Chrisostomus lib. 3. de Sacerd.
Cap. 5. Ubi loquens de his , qui i potestate
annuntiandi Evangelium & ministrandi Sacra-
menta acceperunt , hæc habet: *Potestatem, in-*
quit, acceperunt; quam neque Angelis, neque
Archangelis dedit Deus. Non enim ad eos
dictum est: quæcumque ligaveritis super terram
erunt ligata & in cælo. Et ante ipsum Gre-
gorius Nazianzenus dicit , quod Angeli. Sa-
cerdotium Evangelicum *veneratione prosequen-*
tur. Quibus verbis satis aperte ostenditur,
quàm sublimis & excelsa sit Clericorum Ver-
bum & Sacra menta administrantium dignitas.

4º. Ratione. Prima ratio desumpta est ex
excellentiâ Ecclesiæ , quæ est Corpus Chris-
ti mysticum. Ecclesia est fidelium collectio, quæ
baptismo regeneratur , confirmatione robora-
tur , Eucharistiâ saginatur , pœnitentiâ à
peccatis resurgit , Extremâ Unctione conva-
lescit , matrimonio carnaliter multiplicatur ,
ordine vero spiritualiter alii aliis præficiun-
tur. Quia Sacramentum est id a quo omnis
iustitia incipit , incepta augeretur , & amissa
reparatur ; & demum ea est collectio fidelium ,
quæ verbo divino vivit , & nutritur ; quippe
ut dicit Christus non in solo pane vivit ho-
mo , sed in omni verbo , quod procedit de
ore Dei. Atqui nihil potest concipi in mundo
cā collectione sublimius , cum sit ipsa - met
Christi Ecclesia , ergo nihil pariter potest ex-
cogitari excelsius , quàm officium illud , quo
Clerici Verbum divinum fidelibus prædicant ,
eisque Sacra menta ministrant.

2a. Ratio. In quâ Clerici Sacra menta &

verbum administrantes cum Christo compa-
parantur Christus est in Ecclesia supremus
ille pater & pastor, qui vitam dat, servat, &
auget, qui incipit bonum opus & perficit, ope-
ratur velle, & perficere, *Alpha est & Omega;*
quæ omnia ex scripturis manifestiora sunt,
quam ut confirmari indigeant: atqui Clerici
verbum & Sacra menta ministrantes, non so-
lum Christi Ministri sunt, sed etiam vivæ
eius imagines; cum per eos & initium, &
augmentum, & conservatio, & complemen-
tum gratiæ, seu vitæ spiritualis conferatur
in Ecclesia; gignunt enim per Evangelii &
Sacramentorum administrationem, dum per
eam, administrationem gratiam Dei, quæ
vita est animæ, seu, ut loquitur Augustinus,
vita vitarum, & subministrant, & inserunt,
eadem quæ ratione alant & Pascant, dum per
idem Verbum & Sacra menta eandem gratiam
fovent & augent, quæ non solum vita,
sed & pabulum verorum Christianorum est;
per eadem enim alimur ex quibus sumus: &
quamvis in natura non iidem semper alant &
pascant, qui genuerunt secus in vitâ spirituali:
inde est, quod Paulus modò se patrem fide-
lium, modò nutricem nominat, modò eos
genuisse, modo eis lac, modo solidum cibum
præbuisse testatur.

3a. Ratio. In qua Clerici Verbum & Sacra-
menta ministrantes cum patre æterno com-
parantur. Pater æternus est supremus ille pa-
rens, ex quo omnis paternità in cœlo, &
in terra nominatur, Deus Deum, lumen de
lumine, æternâ generatione, non extra se
effundit, sed intra sinum suum germinat & fo-

vet. Atque eadem vis gignendi & pascendi fideles inest Clericis, Verbum & Sacra menta administrantibus: nam hoc discrimen est inter Ecclesiam & humanas matres, quod haec fœtus suos extra fundendo generant, Ecclesia vero intra se complectendo, & hoc ad honorem & venerationem generationis æternæ, quæ filius oritur à Patre, ut sit unigenitus, qui est in sinu Patris, unde fit ut humanæ matres non soveant amplius, aut formare pergent intus in alvo proles suas jam genitas, ut sovebant antequam peperissent; Ecclesia vero proles suas perpetim in sinu suo conclusas ad instar æterni Patris sovet, auger & petenni quadam generatione conformat donec Christum in iis fidelibus penitus formaverit, & in vitum perfectum in mensuram artatis plenitudinis Christi perduxerit: ut denique in gremio Patris Æterni, & Fratris, cohæredis Christi, ut unum cum Deo Spiritum vitam & æternitatem ab ipso patre hau riant & sic generationem illam æternam & proprius adorent & vividius exprimant.

Consectaria hujus Doctrinae.

Duo ex tam sublimi Doctrina Consectaria educam primum quidem, ut Clerici Hierarchici etiam insimi, suam dignitatem agnoscant, quæ sunt ipsis Angelis longè Ministerio suo Superiores Agnoscant, inquit Bonaventura Pontifices Christi, ac Sacerdotes quod à Dominno universæ terræ receperunt supremum Dominionum, & à diebus sæculi, non solnū hominibus, imò & Angelis spiritibus, penitus in an-

Alterum vero Monitum, quod omnium Clericotum mentibus infixum volo, istud est, quod sicut nullum est Clericale ministerium, vel Tonsuræ, vel Minorum vel majorum ordinum, quod specialem reverentiam non mereatur, ita etiam quod non specialem præ exigat sanctitatem.

C A P U T I V .

An, & quomodo vota tum solemnia, tum simplicita paupertatis, castitatis & obedientiae possint conjungi cum Ministerio Ecclesiastico. Et quo pacto vivere debent qui ligati hujusmodi votis, exercent ministeria Ecclesiastica.

A R T I C U L U S I .

An vota paupertatis, castitatis, & obedientiae conjungi possint cum ministerio Ecclesiastico.

PROPOSITIO unica. Vota paupertatis, castitatis, & obedientiae cum ministerio Ecclesiastico componi possunt.

Probatur. 1°. Ex jure Canonico. Can. Ex auctoritate cauf. 16. q. II. ubi sic habetur. *Sacerdotibus, Monachis Apostolorum figuram tenentibus licet prædicare, baptisare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere atque peccata solvere.* Ergo ligatis voto licet officia Ecclesiastica exercere.

2°. Ex factis desumptis ex Scriptura, & historia Ecclesiastica. Apostoli juxta multos

Patres tria prædicta vota elicuerant ; servabant enim castitatem paupertatem & obedientiam, continentiam quidem abstinentes ab uxoribus, paupertatem vero nihil possidentes nisi in communi, obedientiam demum ut pote exactè morem gerentes Ecclesiastico Superiori ; eodem modo vixerunt cum suo Clero Bahilius, Gregorius Nazianzenus, atque Chrisostomus in Ecclesia græca. Martinus, Cyprianus, & Augustinus cum suis Clericis in Ecclesia latina : & tamen hi omnes ministrium Ecclesiasticum exercuerunt ; ergo tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ cum Statu Clericali, & cum ministerio Ecclesiastico rectè uniri possunt.

3º. Ratione. Vita activa, quæ ministerium Ecclesiasticum importat, potest uniri cum vita contemplativa, quæ adjunctam habet votorum paupertatis, castitatis, & obedientiæ observantiam : ergo Ministerium Ecclesiasticum non est incompossibile cum observatione votorum paupertatis, obedientiæ, & castitatis. Ideò certimmo in Ecclesiâ plures Congregationes tum regulares, tum sacerdtales in quibus observantur tria prædicta vota, & quæ tamen utiliter Ministerio Ecclesiastico incumbunt. Tales sunt omnes Monachi Benedictini tam reformati quam non. Tales sunt omnes Clerici Regulares. Tales sunt pariter Clerici sacerdtales. Missionis, & Clerici Doctrinæ Christianæ.

Consecratio hujus Doctrinæ.

; CONSECTORIUM I. Clerici regulares,

& Monachi regulares. Benedictini, &c. Possunt Beneficia accipere, & retinere, sed ea solum quae sui sunt ordinis, ita jubet Trid sess. 14. Cap. X. *Regularia*, inquit, *Beneficia in titulum Regularibus Professis provideri consueta*, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa titulum obtainentis vacare contigerit *Religiosis tantum illius Ordinis*, vel iis; qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis . . . Conferantur.

CONSECTARIUM. II. Clerici saeculares Missionis, & Doctrinæ Christianæ possunt Beneficia saecularia, minimè vero Regularia accipere, & retinere: cum enim per vota simplicia non fiant regulares, sed Clerici saeculares permaneant, non possunt esse capaces, nisi Beneficii saecularis. Nec dici potest eos esse incapaces Beneficii, etiam saecularis; nam si votum solemne non reddat Clericum Regularem incapacem Beneficii Regularis, pati ratione votum simplex non reddet Clericum saecularem incapacem Beneficii saecularis. Inde est quod plures Sacerdotes utriusque Congregationis Missionis scilicet, & Doctrinæ Christianæ, Beneficia saecularia pacificè possident, & quidem merito: omnis quippe societas Ecclesiastica, si expressè Beneficiis non renuntiaverit capax est Benefiorum; qui enim altari servit, de altari potest & debet vivere. Ergo cum utraque haec Congregatis Beneficiis non renuntia verit, & aliundè saecularis existat, Beneficia saecularia & acceptare potest, & retinere. Quibus rationum momentis motus Senatus Tolosanus an. 1709. Solemni judicio pronun-

riavit Clericos Doctrinæ Christianæ capaces esse qui Beneficia sacerdotalia & acciperent, & retinerent. Cum enim R. P. Videt ab Archiep. Tolasano nominatus esset ad Theologalem Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Felicis & Raymundus Latcher & Henricus Masuer contra R. P. Videt litigantes contendenter R. P. Videt ut pote Professum Congregationis Doctrinæ Christianæ beneficiorum esse incapacem Suprema Curia Clericos Doctrinæ Christianæ Beneficiorum capaces judicavit & predictos Latcher & Masuer litis expensas solvere jussit.

CONSECTARIUM III. Licet Clerici Regulares votis solemnibus ligati sint, Capaces Beneficij Regularis, & Clerici sacerdtales votis simplicibus ligati sint capaces Beneficij sacerdotalis; neutri tamen possunt licite Beneficium collatum acceptare, vel retinere absque licentia superiorum vel expressa, vel presumpta, id enim exigit obedientiæ votum, quo se societati cuius sunt membra obstinaverunt; etenim qui votum obedientiæ elicuit nullum vel officium, vel munus, vel Beneficium acceptare potest absque superioris licentia; cum nullum sit tempus in quo superior authoritatem non habeat prescribendi inferiori suo aliquid quod forte nullatenus cum Beneficio acceptato conjungi possit: id est Concilium Ratisponense Cap. 12, vetat ne Beneficia conferantur Religionem professis, saltem sine superiorum licentia. Statuimus, inquit, & cavemus ne cura Ecclesiæ Beneficiorumque concedatur Religionem quamcumque professis, etiam exemptis. Quod si hactenus aliqui admissi, vel recepti essent, nisi de

de voluntate, favorequa superioris sui, legitimisque de causis constititerit extra sua Monasteria degere, nequaquam sibi integrum fore putent, quando illos hic vagos per ordinarios, vel Vicarios ad Superiores suos per vietū denegationem, aut alia juris remediarummittendos esse jubemus. His fundamentis innixi Patres Congregacionis Doctrinæ Christianæ acceptâ ab Innocentio anno 1647. potestate condendi constitutiones sapienter præscripserunt, ne quis Clericus, aut Sacerdos ejusdem Congregacionis Beneficia sœularia acceptaret sine Superiorum consensu. Et Alexander VII. Anno 1649. declaravit, *Quod si aliquis hujusmodi votis, & juramento ut præfatur emissis, sine dispensatione relaxatione prævia recesserit à Congregatione (quod utique fit quando sine licentiâ retinetur Beneficium personalem residentiam extra domos nostras requirens) is inquam eo ipso remaneat suspensus, donec hujusmodi dispensationem & relaxationem obtinuerit, & juxta regulas statutas ubi de censuris, si suspensus celebret erit irregularis.*

ARTICULUS II.

Quo pacto vivere debeant Clerici sœulares vel regulares, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum suscepérunt.

PROPOSITIO unica. Clericus tum sœularis tum regularis ligatus prædictis votis, qui Beneficium Ecclesiasticum suscepit, debet isthac omnia exactè observare. 1°. Quæ pertinent ad Statum Clericalem 2°.

Quæ pertinent ad Statum suæ Congregatio-
nis 3°. Quæ spectant ad Statum Beneficiariorum:

Probatut 1°. Ex jure Canoni. Cau. 16. q.
l. c. 3. Ubi sic habetur. De Monachis : qui
diu morantes in monasteriis , si postea ad Clerica-
tus Ordinem pervenerint, statuimus non debere
eos à priori proposito discedere. Quæ verba sic
exponit glossa ibidem. Non debent discedere,
quantum ad ea quæ sunt de substantia Monacha-
tus , ut de habitu servando , & continentia , &
de non babendo propria : in his enim non ab-
solvitur , licet transeat ad Ecclesiam sacerdalem
sed in jejunio, silentio , & vigiliis absolvitur.
Et Concilium Ratisponense Cap. 13. vult,
quod Ecclesiæ Monasteriis unitæ usque ad eò
propinquæ sint. Quod Religiosi earumdem curam
habituri sub Religione in Monasterio , sub debita-
que obedientia stare possunt

2°. Ratione. Qui ad triplicem statum per-
tinet debet singula triplicis illius Satus offi-
cia observare , quia nemo dispensari potest ab
eis quæ sunt de ipsis officiis ; atqui prædic-
tus Clericus ligatus voto Beneficium Ec-
clesiasticum suscipiens , ad triplicem statum per-
tinet , scilicet Clericalem , Religiosum aut
quasi Religiosum , & Beneficiarum , ergo te-
netur observare ea omnia officia quæ per-
tinent ad statum Clericalem , Religiosum , aut
quasi Religiosum & Beneficiarum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Ad quid teneatur
in genere prædictus Clericus. Tenetur ad ea om-
nia quæ supra diximus de Clericis , de Re-

ligiosis, & de Beneficiis. De hujusmodi Clericis potiusquam de Monachis loquitur Aug lib. de moribus Ecclesiae Cap. 31. Quis inquit, non illos miretur, qui contemptis mundi illecebris, in communem vitam castissimam, Sanctissimamque Congregati, simul etiam agunt viventes in orationibus, & lectionibus. In orationibus quidem ut se ipsos spiritualiter nutriant, lectionibus vero, ut alios Religionem doceant. De eisdem Clericis ita Gregorius Nazianzenus oratione prima, *Nihil tam optandum videtur Clerico scilicet clericos enim alloquitur qualis erat Gregorius. Nihil, inquam, tam optandum quam ut occulis sensibus, atque extra carnem, mundumque positus & in se ipso collectus, nec nisi quantum necessitas exigit quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipso & cum Deo colloquens superioriter rebus visibilibus vitam agat,*

CONSECTARIUM II. Ad quae tenetur predictus Clericus ratione voti castitatis Cum talis Clericus extra communitatem degens multò pluribus exponatur temptationibus quam si inter fratres vitam communem ageret, ideo debet esse longè cautio in præcavendis iis omnibus quæ castitatem possent labefactare. & in iis observandis quæ castitatem illasam possunt conservare, vide quæ supra diximus de castitate servanda.

CONSECTARIUM III. Ad quid teneatur predictus Clericus ratione voti obedientiae. Cum talis Clericus obedientiam secundum regulam voverit, ex vi voti emissi debet singula suæ regulæ præscripta quantum in ipso est fideliter exequi & ad omnia superioris

mandata, quæ cum Beneficii occupationibus componi possunt paratus esse. Sic. v. g. non eximitur inquit glossa ab abstinentia à Carnibus, quando regula jubet talem abstinentiam *quia canon tantum infirmitatis causam excipit*, deinde *quia utens carnibus, à quibus fratres ejus abstinent, esset aliis scandalo*. Quod glossa dicit de carnium abstinentia ad alias observantias transferri potest.

C O N S E C T A R I U M IV. *Ad quid pertinet
tunc predictus Clericus ratione voti paupertatis.*
Cum talis Clericus paupertatem voverit & proprium habere non possit nihil potest tamquam suum retinere ut dicit glossa. Itaque unà cum suo superiore, quem hac in parte potest & debet consulere seorsim seponat, quæ necessaria sunt ad congruam sui sustentationem, ad decentem Ecclesiæ ornatum, ad providum indigentium levamen, & ea omnia quæ supersunt superiori exhibeat: ut juxta Canonicas Sanctiones piis usibus insumentur. Juxta breve Apostolicum Clementis VIII. ea bona apud nos in arca communi recondi debent; sic enim loquitur summus Pontifex. *Quæstus verò ex Laicorum predictorum labore & industria provenientes, cum cæterorum redditibus ex Clericorum eorumdem Beneficiis Ecclesiasticis, ac patrimoniiis, si quæ habeant provententibus, in arca communi reponantur ut exinde habeant, quo sustentari possint.*

॥१॥ ॥२॥ ॥३॥ ॥४॥ ॥५॥ ॥६॥ ॥७॥ ॥८॥ ॥९॥ ॥१०॥
 ॥१॥ ॥२॥ ॥३॥ ॥४॥ ॥५॥ ॥६॥ ॥७॥ ॥८॥ ॥९॥ ॥१०॥
 ॥१॥ ॥२॥ ॥३॥ ॥४॥ ॥५॥ ॥६॥ ॥७॥ ॥८॥ ॥९॥ ॥१०॥

TRACTATUS III.

De Statu Laicali.

PRO E M I U M.

STATUS LAICALIS DIVERSAS COMPLECTITUR HOMINUM CONDITIONES; ALII SUNT, QUI PRÆSUNT, UT MAGISTRATUS; ALII, QUI SUBSUNT, UT CIVES; ALII, QUI JUDICANT, UT JUDICES; ALII, QUI JUDICANTUR, UT LITIGANTES; ALII, QUI INCUMBUNT ARTIBUS LIBERALIBUS, QUALES SUNT II, QUI TRADENDIS SCIENTIIS PUBLICÈ PRÆFICIUNTUR, AUT IN EATUM EXERCITIO OCCUPANTUR; ALII, QUI ARTIBUS MECHANICIS DESUDANT, UT AGRICOLÆ, & GENERATIM OMNES ARTIFICES; ALII, QUI SUIS REDDITIBUS VIVUNT; ALII DEMUM, QUI LABORE SUO-VITAM SUAM EXIGUNT. DE QUIBUS OMNIBUS. SIGILLATIM AGENDUM.



CAPUT I.

De iis, qui civiliter præsunt, seu Magistratis, & Magnatibus, & de iis qui civiliter sub sunt, seu civibus, & plebeis.

ARTICULUS I.

De Magnatum & Magistratum officiis.

Sicut in Statu Laïcali post dignitatem Regiam, nihil est aut Magnatibus, aut Magistratibus sublimius, ita quoque nihil est è conditione periculosis ob innumera, quæ tum Magnatibus, tum Magistratibus incumbunt officia: debent enim Deo timorem, Ecclesiæ Reverentiam, Regi fidelitatem, providam plebeis omnibus dilectionem; sibi verò continuam in dignoscendis & exequendis tot muneribus vigilantiam; quæ munia omnia nos sequentibus propositionibus explicabimus.

P R O P O S I T I O I. Quicumque in aliquâ dignitate civili constitui sunt præ aliis Laïcis, debent Deo timorem aliquem specialem.

Probatur 1^o. Scriptura Deus ubique à Magnatibus specialem exigit reverentiam, sed præcipue Sapient. Cap. 7. *Audite ergo reges, inquit, & intelligite, discite judices finium terræ . . . Horrendè & cito apparebit vobis: quoniam durissimum judicium his, qui præsunt, fiet . . . Potentes autem potenter tormenta pa-*

DE STATU LAICALI. 151
tientur: ergo Magnates specialem Deo debent timorem & reverentiam.

2°. Ex Ferrando Diacono Ecclesiæ Carthaginensis, Epistolâ ad Regium comitem, ubi sigillatim describit Magnatum Magistratumque officia, & primò quidem erga Deum his verbis: *Omnem Deo gloriam, inquit, tribue; hoc quippe intelligens a Domino tibi populos subjicii, voluntatem Domini procul dubio facere procurabis.* Primum ergò Magnatum Magistratumque officium est Deum Reverenti timore venerari.

3°. Ratione. Quantò quis sublimior est, tanto magis debet coram Deo sese humiliare, juxta illud scripturæ Eccles. C. 3. v. 20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.*

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Magnates & Magistratus debent specialem timorem erga Deum. 1°. Corde fovere 2°. Ore eloqui, 3°. Factis suis coram omnibus palam facere: ea enim est Pii timoris erga Deum natura, ut in corde foveatur, verbis se prodat, factis vero coram omnibus pateat.

Sic peccant Magnates & Magistratus, qui dignitate suâ nimium elati. Deum superiorem omnibus rebus interius, ut pat est, non venerantur, cuius superbie punitionem cunctis Magistratibus & Magnatibus tremendum suppeditat inopinus Holoferni interitus: hic enim non alio quam feminæ gladio interiit ut agnoscant. Magnates sexum ipsum

Si emineum ad debellandos superbos esse potestissimum.

Sic peccant Magnates & Magistratus, quoties verbis suis Dei, cui omnes subesse debent, timorem minuunt, & de ejus excellentiâ, ut par est, non loquuntur, cujus superbiae punitionem habes in stupenti totius exercitus Sennacherib deletione.

Sic peccant Magistratus & Magnates, quoties factis suis impediunt timorem, quem decet nos omnes erga Deum habere. Hujus superbiae punitionem habes in illis Sacrapis, qui in derisum Religionis voluerunt Daniëlem detruidi in lacum leonum, à quod Daniël liberatus est, ipsi vero iussu Regis ad eundem lacum missi sunt, & à leonibus statim devorati.

CONSECTARIUM II. Debent Magistratus & Magnates humilem erga Deum timorem cunctis, qui eis subsunt, inspirare, quantum in ipsis fuerit: non enim sufficit, ut Deum Magnates timeant, nisi & aliis, quibus præsunt, erga Deum timorem inspirant.

Sic peccant, si negligant Dei timorem inspirare 1°. Servis, qui eis in rebus domesticis ministrant 2° Militibus, qui eos iussu Regis tueruntur 3°. Judicibus inferioribus, qui causas plebis examinant, demum cuncto populo, qui eis subest: *Qui enim suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit.* & esse infideli deterior.

Sic peccant Magistratus & Magnates, qui licet nihil ipsi per se extorqueant; tamen ne famuli, qui sibi subsunt exactores sint, non impediunt: *Quid enim, inquit, Ferrandus ibidem, miseros juvat, si dux exhibeat continen-*

tiam boni ducis, & aliis sibi potestate illius occasiōnem faciat avaritiae satiādē: deindē quomodo corripiat extraneos, nisi primitūs correxerit suos. Caveat ergo, & diligenter caveat, ne quis hominum suorum miseris noceat, non potest sapiens dux excusari de ignorantia, quoties dixit forsitan; ego nescio, non audivi, nullius ad me querela pervenit, per ipsum namque, quid à suis agatur, oportet inquiri; quia nemo audet eos publicis interpellationibus accusare.

Sic peccant Magistratus & Magnates, quoties milites, quos ad eorum tutelam habent, duriores esse erga plebem permittunt. Nullatenus, inquit idem Ferrandus ibidem, remanere impunita milium peccata dimittas: etenim, inquit Cassiodorus lib. 9. Epist. 64. Qui emendare potest, & negligit, participem se procul dubio delicti constituit. Item peccant, quoties eosdem milites sine expressa Regis iussione, ut in Regno, aut extra Regnum grassari sūnunt: sunt enim tunc Magnates & Magistratus rapinæ infandæ ad restitutionem obligantis cooperatores; cum eam non impediant, quando possunt, & quandò debent, quos ita alloquitur August. lib. 4. de civitate Cap. 4. Quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; quia in magnâ classe, imperator. Item peccant Magistratus & Magnates, quoties militum aut transeuntium aut hyernantium non cohibent ferociam, & damna, si quæ contulerint, reparanda non curant: cuius obligationis exemplum refert Cassiodorus lib. 2. Epist. 8. in qua Theodoricus Severo Episcopo sic scribit: significamus nos sanctitati vesti-

træ mille quingentos solidos destinasse, quos Provincialibus, prout quemque præsenti anno exercitu nostro transeunte dispendium pertulisse cognoveris, habitâ lesionis estimatione distribuas.

Sic peccant Magnates & Magistratus, quoties permittunt, ut judices sibi subditi munus judicandi languide obeant. Item peccant, quoties populis istud Pauli non inculcant: *Deum timete; Regem honorificate.*

PROPOSITIONE II. Quicumque in aliquâ dignitate constituti sunt, quales sunt Magnates & Magistratus, debent post timorem ergâ Deum, cuius sunt creaturæ, maximam Reverentiam ergâ Ecclesiam, cuius sunt membra.

Probatur 1º. Scriptura. Isaïas futuram Ecclesiæ autoritatem præfigiens, sic habet: Cap. 49. v. 23. *Et erunt Reges nutriti sui, & Reginæ nubrices suæ; vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum suorum, & scient quia ego Dominus.* Præcipuum Regum, & proinde Magnatum officium, & Magistratum munus est officiosa ergâ Ecclesiam Reverentia.

2º. Ex Leone Epistolâ 33. Res humanæ, inquit, aliter tutæ esse non possunt, nisi que ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat autoritas: ergo Magnates si quam habent à Regibus autoritatem, eam debent in Ecclesiæ utilitatem & defensionem insumere.

3º. Ratione. Magnates & Magistratus sunt Regis Ministri, sunt & Ecclesiæ filii: ergo Regum, quorum sunt Ministri, jura tueantur, & Ecclesiæ, cuius sunt filii, statuta & servent, & servari procurent.

Consectaria hujus Doctrine.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant Magnates & Magistratus, cum ardenter zelo, quam plebeii, dogmatis fidei non acquiescunt, decretis morum non subsunt, statuta Ecclesiasticae disciplinæ non venerantur, de quo idem Ferrandus ibidem: *Ut dux bonus, in omnibus quidem, si pie sapis, Ecclesiam consulat, si quando aliquis scrupulus mentem mouet, non sequaris facile sententiam propriam, nec aliis persuadere coneris, nisi prius eam Sacerdotibus agnoveris placuisse consule autem Sacerdotes, Piè querendo, non usolentier, quid respondant, imperando, nec tibi unquam placeat in Provinciis, in quibus ducatum geris, Canonum decreta rescindere: si enim publicas leges transgredi metuis, quas homo constituit, quomodo Spiritus Sancti definitionibus obviare tentabis.*

C O N S E C T A R I U M . II. Peccant Magnates, & quidem gravius, quam plebeii, si vel corde, vel verbo, vel opere veracitatem Ecclesiæ infirmit, sanctitatem ejus rideant, & disciplinam ejus aspernentur. Si enim nefas est plebeio cuilibet Canones fidei, decreta morum, & regulas disciplinæ non venerari; crimen illud longè gravius in Magistratu & Magnate, cuius rebellio contraria Ecclesiam tanto periculosior, quanto dignitas est sublimior. De quo ita Ferrandus eundem ducenti alloquens; *Humanis divina pрапone, Ecclesia Catholica statio est, ubi vulnera nostra bonus medius sanat: filius promissionis est quisquis eam ad effusionem sanguinis vindicta-*

cat. Propterea dux optime & fidelis tene omnia dogmata ejus, sive circa fidem, sive circa mores, sive circa disciplinam prædica, vindicare scilicet corde, prædica verbo, vindica autoritate & exemplo; & indicans modum, quo suscipi debeant à Magnatibus Ecclesiæ decreta, sic persequitur: *Adgit bonis ducibus pia cordis humilitas, quoties requirunt veritatem, sæcularis dignitatis removeant potestatem, nec temerè audeat, quamvis dux;* tamen Ecclesiæ discipulus, Ecclesiam docere, nec iudicia sequi Sacerdotum, sed velle potius de Sacerdotalibus judicare iudiciis.

CONSECTARIUM III. Peccant Magistratus & Magnates, si ab his, quibus præsunt, non exigant debitum erga matrem Ecclesiam honorem, v. g. si fideles baptisatos non cogant ad obedientiam, si infideles & non baptisatos non attrahant ad fidem; si baptisatorum non puniant rebellionem, si paganorum insultus non reprimant.

Quomodo enim baptisati Ecclesiæ obediunt debent, ita explicat Ferrandus alloquens Reginum comitem: *omnis, inquit, qui se ad Ecclesiam pertinere gloriatur, legibus vivat Ecclesiæ, maximè bis, quas antiquitas roboravit, unde etiam consuetudo sine lege, quam tamen Ecclesiæ sanctæ traditio custodiendam jugiter posteris iradidit, eadem reverentia videtur custodienda, nullatenus amovenda, si non est fidei veræ contraria.* Non offendat animam tuam Ecclesiarum diversa consuetudo, dum fides est una. *Tu vir sapiens Ecclesiæ, ad quam perverteris, si approbes fidem, sequere statim consuetudinem*

DE STATU LAICALI. 157
suetudinem, nec usurpes aliquam sacri ritus facere novitatem.

Quomodo vero Magnates & Magistratus ad Ecclesiam infideles attrahere possint, sic explicat idem Ferrandus ibid. *Duc ad eam, id est Ecclesiam, volentes, compelle nolentes, non dolore suppliciorum, non metu gladii fæcientis; sed modesta correptione, & severitate plena dilectionis.* Procul absit timor diaboli militans; sciant hæretici; quia Catholicus es: sciant Catholicici, quia detestaris Hæreticos. Deficiant temporibus administrationis tuae Sinagogæ peccantium; crescat numerus electorum: si gloriosus efficitur, cuius labore dilatantur fines imperii, quanto erit gloriösior, cuius labore Catholica multiplicatur Ecclesia. *Gaude ad lucra Christi, dole in dispendiis.*

CONSECT. IV. Peccant Magistratus & Magnates, si quoties Ecclesiæ utilitas exigit, non præeligunt à dignitate sua excidere, potius quam sinant Ecclesiæ jura vel tantisper violare. Cujus intrepidi zeli exemplum habent in Moysè, qui maluit affligi cum populo Dei, quam in palatio Pharaonis temporalem accipere jucunditatem. Habent & alia exempla tum Clericorum, tum Laicorum, qui non modo exilia, sed etiam mortem passi sunt, potius quam permitterent, vel Ecclesiæ jura amitti, vel ejus leges pessimandi. De hoc ita Ferrandus ibid Eundem comitem alloquens: *Ipsis quorum munere dux effectus es Regibus, si que forte contraria Veræ fidei senserint, & non obedire poteris, & repugnare paratus ad martyrium.*

PROPOSITIO IV. Magnates debent
TOM. VI. Q.

omni tempore , tum belli , tum pacis in speciali erga Reges fidelitate una cum suis vassallis persistere.

Probatur 1°. Scriptura. Omnibus , sed specialiter Magnatibus , dictum est : *Deum timeat. Regem honorificare.* Petr. 2. v. 17. ergo cum honor erga Regem, fidelitatem erga ipsum adjunctam habeat ; debent omnes , sed præcipue Magnates , in indefectibili erga Regem fidelitate persistere.

2°. Ex Ferrando. Dux talis debet esse , ut sive vigilando contra insidias adversariorum , sive sciendo , qui soleant eventus rebus singulis deputari , probe norit , unde oriuntur seditiones , unde bella nascantur , unde dissolutio severitatis , ut hæc omnia in suis amputata radicibus iter sapientissimo duci quietissimæ dispositionis aperiant : ergo Magnates debent omni tempore , tum belli , tum pacis, in indefectibili erga Regem fidelitate persistere.

3°. Ratione. Magnates constituti sunt à Deo infra Regem , & supra populum ; infra Regem , ut ei subsint ; supra populum . ut eum contineant : ergo debent & se , & vassallos suos in indefectibili erga Regem fidelitate continere.

Conjectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C. I. Præcipuum , imò forte unicum Magnatum erga Regem officium est ut certò sciant , & vassallis suis sèpiùs inculcent , quod omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debeat : *Quoniam data est à Domino potestas , & virtus ab altissimo.* Sapient,

7. v. 40. & quod ea sit Magnatum vassallis imperantium conditio, ut concessâ sibi autoritate non aliter uti valeant, quam ut divinam virtutem à Deo in Reges, & à Regibus in duces diffusam venerandam reddant, & ad Deum referant; juxta illud Petri 1a. 2. v. 13. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEUM sive Regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.*

C O N S E C T A R I U M II. Magnates una cum vassallis tempore belli debent 1º. Toto corde Regis partibus adhærescere, ut fecit sanior pars populi judaici, cum Absalon rebellaret contra David juxta illud: *Dixeruntque servi Regis ad eum; omnia quæcumque præceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur servi tui.* 2. Reg. Cap. 15. v. 15. 2º. Debent, quantum possunt, hostium consilia, eorumque vires infringere, ut fecit Chusai; qui prudenter consilium Achitophel Davidi maximè noxiū dissipavit, & quid agendum esset, tutis & secretis nuntiis eidem Davidi manifestandum curavit.

P R O P O S I T I O V. Magnates debent plebeis omnibus providam & Beneficam dilectionem, & si quam fortè habeant apud Reges autoritatem, eam omnem in populum utilitatem debent insumere.

Probatur. 1º. Scripturâ. Quotquot apud sacros historicos perhibentur Magnates viri, qui aliquâ apud Reges autoritate valuerunt, ii omnes eâ autoritate usi sunt; non quidem in sui commodum, sed in utilitatem popu-

lorum. Sic Esdras bono Regis Artaxercis animo usus est, ut captivum populum in judicium revocaret. Esd. 1. sic Nehemias Artaxercis Pincerna ab eodem obtinuit, ut dirutam Ierusalem ædificaret. Esd. 2. Cap. 1. sic Tobias gratus Regi Salmanazar confratres captivos consolatur. Tob. 1. Sic Esther Regis Assueri conjux facta, ab omni Hebræorum gente prepararam ab impio Aman generalem internecionem avertit. Esth. 8. ergo Magnates si quam habent apud Reges autoritatem, eam non in sui commodum, sed in populorum utilitatem providè debent insumere.

2°. Autoritate simul & exemplo Gregorii, qui de se loquens fatetur se numquam Imperatoribus scripsisse, nisi ut eos ad tuendam justitiam incitaret; ita enim habet lib. 8 Epis. 51. Debet, inquit, gloria vestra meminisse; quia numquam Epistolas meas pro commendatione alicujus accepit, nisi ut protectionem vestram favente justitiâ præstaretis.

3°. Ratione. Omne bonum in se recurvum inquit D. Thomas, est male ordinatum; ideo dicit Dionysius, quod bonum non in se sifstat, sed quod extra se ipsum quasi diffundatur: ergo si quam habent Magnates autoritatem, non eam debent in se ipsos reflecere, ut ditiones fiant, aut potentiores evadant, sed eam debent extra se quasi diffundere; ut populi & fiant ditiones, & tranquilliores vivant.

Consecularia hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Quando Respu-

blica tranquillà pace Fruitur, Magnates à Rege quantum poterunt, longè arceant pestiferos illos adulatores, qui principi bellandi animum inspirant, certi nihil esse, quod Regnis interitum promptius attrahat, quam bellum in justè susceptum. Sic bellis perperam suscep- tis, periere omnino quatuor supremæ totius orbis Monarchiæ. Prima quippe Monarchia, Babilonica scilicet, in justis bellis Ferox ad insitare LEONIS, inquit Daniël; destruta est à persis. Secunda Monarchia scilicet Persarum non minus crudelis quam URSUS, inquit Daniël, à Græcis subacta est. Tertia monarchia Græcorum scilicet PARDO similis, bellandi semper impatiens à Romanis finem accepit: sed quarta Monarchia nimis Romana terribilis nimis dentes Ferreos habens cunctis populis bella indicens tandem ipsa periiit & Regnum pacificum Christi ex quatuor Monarchiis destructis exurgens usque nunc perseverat & in æternum perseverabit: nihil enim est quod citius regnorum, populorumque pernitiem moliatur quam bellum; *Quemadmodum enim*, inquit Chrysost. *Certantibus ventis mare concutitur, sic Regibus sibi adversantibus populus Regni vexatur.* Unde Seneca scribens ad Neronem, Munimentum Regis non in armis sed in amore populi collocat. *Inexpugnabile*, inquit, *mumentum amor populi, quid pulchrius quam vivere optantibus cunctis.*

CONSECTARIUM II. Quando statuta semel est Respublica, suis legibus munita, debitisque tributis stabilita, Magnates à Rege amoveant pestiferos illos adulatores, qui nova semper Regibus vestigalia sugge-

runt, ostendantque nihil esse, quod citius regnorum perniciem moliatur, quam novorum vectigalium impositio. Quod vel ex eo solùm patet, quod Regnum Judaicum ab ipso Deo stabilitum, ob insolita vectigalia imposta in duas partes infelicitate discisum sit, & tandem discisum penitus interierit. De quibus pestiferis adulatoriis ita scribit Ferrandus Reg. 4. *Ut potestas, inquit, detur opprime pauperes, impossibilia pollicentur Ideò cupiunt emere graves actiones; quia cogitant vendere: promittunt falsa, ut vera subripiant; blandiuntur, ut noceant; piam quasi sollicitudinem pro utilitatibus publicis gerunt; affligere simul omnia & deteriorare moliuntur. Evertere cupiunt, non gubernare; dissipare, non custodire; devorare, non pascere; materiam seditionibus, incrementa miseriis, causam fletibus subministrant.*

¹ PROPOSITIO VI. Tot tantaque sunt, & quidem passim sibi occurrentia Magnatum hominum officia, ut vix sine summâ vigilâ attentâque cautione circumspici valeant.

Probatur 1º. Scripturâ, & quidem Psal. 2. ubi sic habetur. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram ... Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ, quibus verbis satis indicatur juxta scripturam necessarium omnino esse, ut Reges & Magnates homines instruantur suo potius studio, quam aliorum documento, sibique maximè invigilent.*

2º. Ex factis ex scripturâ desumptis. Quandò Deus plebem alloquitur, eam ad Sacerdotes mittit, ut ab eis legem accipiat: *Ve-*

nies, inquit, ad Sacerdotes levitici generis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Deut. 17. v. 9. æquum enim est, ut qui nequeunt se ipsos instruere, à Sacerdotibus doceantur: Ast verò ubi Reges & Magnates alloquitur, non eos mittit ad Sacerdotes, ut ab eis instruantur, sed ad legem ut eam meditentur; non quod eos à Sacerdotum subducat imperio, sed quod velit eos, & proprio labore, & proprio studio erudiri. Postquam, inquit scriptura, sederit Rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volume, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legerque illud omnibus diebus vita sua, ut discat timere Dominum Deum, & custodire verba, & ceremonias que in lege scripta sunt. Deut. 17. v. 18. Et Josue alloquens hæc habet. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus: ergo Reges & Magnates debent sibi continuam attentamque vigiliam, ut sua officia possint, ut par est, circumspicere.

3º. Ratione. Vigilia seu attenta circa se ipsum circumspectio, & attenta mandatorum, quibus urgemur consideratio, singulis Christianis necessaria est, & quidem propter tria. Primo quia Deus ita præcipit, juxta illud; Quod vobis dico, omnibus dico vigilare. Marc. 13. v. 37. 2º. Quia id exigit diaboli adversarii nostri malitia. 3º. Quia idem postular nostræ carnis infirmitas, juxta illud. Vigilate; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Math. 26. v. 41. sed vigilia, quæ cunctis Christianis quasi necessaria præcipitur,

Regibus & Magnatibus longè striciori lege imperatur, ob infinita, quæ eos avertunt à Divinæ legis consideratione, impedimenta. Ergo continua vigilia, & perpetua consideratio Regibus & Magnatibus est necessaria, ut obvia semper habeant varia, quibus ligantur officia.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Ea debet esse cunctis Magnatibus impressa convictio, scilicet in negotio salutis nullam esse conditio nem periculosorem, quam sit virorum Magnatum status: in eo siquidem extinguitur fides, vacillat spes, languet charitas, pervertitur Religio; fides enim prudentiam prudentium reprobavit. Magnates vero eam prudentiam sæculi magni faciunt. Ideo dicit Paulus 1a. Ad Corinth 1. v. 26. *Videte enim vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Spes Christiana in solo Deo innititur.* Magnates vero sperant in incerto divitiarum. Substantia enim cuiuslibet divitiis urbs fortitudines ejus est. Prov. 10. v. 15. id est dives in suis divitiis quasi in arce munitissima conquiescit, Charitas Christiana non querit, quæ sua sunt. Magnates vero omnia sibi debita, & quasi vestigalia arbitrantur. Religio Christiana Deum adorat, humilitatem amat, ambitionem fugit: Magnates vero divitias, honores, sæculi voluptates pro diis habent, nec aliis vulgo numinibus sacra faciunt.

C O N S E C T A R I U M II. Ea debet esse

cunctis Magnatibus semper præsens & continuò obversans convictio , quod quantumvis fibi sublimes appareant , jure naturali sunt cæteris quibuscumque hominibus similes in natura ; jure vero positivo sunt aliquibus tantum superiores conditione , & jure Divino quibuscumque aliis hominibus longè severius judicandi.

Magnates similes sunt cunctis hominibus in natura , juxta illud Sap. 7. v. 1. *Sunt quidem ego mortalis homo , similis omnibus , ex genere terreni illius , qui prior factus est , in ventre matris figuratus sum caro Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium ; unus ergo introitus est omnibus ad vitam , & simulis exitus .* Invariabili ergo jure naturæ Reges & subditi , principes & vassalli , Magnates & plebeii , idem omnino sunt ; & quoad corpus , & quoad animam ; & ille solus superior qui corpus menti , & mentem Deo subjicitur. Ille verè Rex , qui sibi verè dominatur ; è contra ille verè servus est , qui pravis cupiditatibus obsequitur. *Rectus ergo ille homo est ubi spiritus imperat , caro servit.* inquit Aug.

Magnates sunt tantum aliquibus superiores conditione , servitus enim , & aliæ conditionis differentiæ à jure genitum originem Isumpsit. instit. lib. 1. tit. 5. Jure ergo positivo infinitis casibus variabili Reges regnant , subditi serviunt , principes præsunt , vassalli subsunt.

Magnates eminent , plebeii latent ; sed quanto tempore ; sèpius ante mortem ille ordo pervertitur : saltem invariabili lege mors æquat omnes homines , Regem cum subditis ,

Principes cum vasallis, Magnates cum Plebeis, divites cum pauperibus, in uno terræ sinu confundit.

Magnates sunt apud Deum judicem distric-
tiū puniendi, juxta illud, *Quoniam iudicium
durissimum his, qui præsunt, fiet, ex quo enim
conceditur misericordia, potentes autem poten-
ter tormenta patientur.* Sap. 6. v. 6.

C O N S E C T A R I U M III. Ea debet esse præsens & continuo obversans Magnatibus convictio, scilicet, eam, quam acceperunt, conditionis sublimitatem, bonum quidem esse, sed ipsi Magnatibus onerosum, plebeis vero solis utile, & fructuosum. Conditionis sublimitas ipsis Magnatibus, vel ex eo onerosa censenda est, quod peccata singula ab ipsis commissa, quæ in plebeio essent unica, in ipsis Magnatibus sunt juxta numerum vasallorum, aut aliorum scandalum patientium multiplicia. Ut satis aperte indicant hæc verba sapientis Ecclis. 7. v. 7. *Non pecces in multitudine civitatis, neque te immittas in popu-
lum.* Eadem vero Magnatum Dignitas non Magnatibus ipsis, sed aliis debet esse utili-
tati; quippe sicuti Rex, non sibi est Rex, sed subditis; ita Magnates, non sibi prodesse debent, sed plebeis: unde si quid ab aliis exigant, quod in propriam utilitatem con-
veratur, furtum est, rapina est.

ARTICULUS II.

De his, qui aliis subsunt, ut plebeii.

PROPOSITIO 1a. Qui sunt in statu subjectionis, quales sunt omnes subditi erga Reges, omnes vassalli erga principes, & demum omnes plebeii, debent humiliter in eo statu persistere, & conditionem Magnatum timere, potius quam desiderare.

Probatur 1º. Scripturā. *Noli querere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris.* Ecclis. 7. v. 4. Ergo qui est in statu humili debet in eo lubens permanere: & Paulus scribens ad Corinthios, ita eos ab omni Prælationis pompa dehortatur & ad subjectiōnem suaviter invitat. *Unusquisque, inquit, in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* 1a, cap. 7-v.24. & v. 20. ejusdem capititis ait. *Unus quisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es non sit tibi curæ: sed si potes fieri liber, magis utere.*

2º. Ex Ambrosio in suo Pastorali. *Magna, inquit, Sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis debet sollicitudine circumvallari.* Cui plus creditur, plus ab eo exigitur, sicut scriptum est, *scienii legem & non facienti, peccatum est grande, & servus sciens voluntatem Domini sui, si non fecerit eam vapulabit multum.* Ergo qui est in infima conditione, multò felicior quam qui est in sublimi dignitate constitutus.

3º. Ratione. Ille status est amandus, in quo salus est facilis, è contra vero ille status

est pertimescendus, in quo salus est difficilis, ut patet; Atqui status subjectionis talis est ut in eo salus sit facilis propter pauciora impedimenta quæ cum eo conjunguntur. Status vero prælationis sit hujusmodi ut in eo salus sit difficillima propter imnumera impedimenta quæ adjuncta habet; ergo status subjectionis est amandus; status vero prælationis pertimescendus.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Hi, quibus prædicatio verbi & administratio Sacramentorum incumbunt, toti debent esse in inspirando populis amorem erga subjectionem, timorem vero erga prælationem, quod utique facient si ostenderint Christum haud dubiè elegisse id quod est melius in ordine ad salutem: Christus autem non elegit mundanam Prælationem sed subjectionem. *Non veni*, inquit, *ministrari sed ministrare*. Math. 29. v. 28. Paupertatem elegit, divitias contempsit. Humilitatem amat pompam sæcularem exhorruit. *Dicite à me*, inquit, *quia mitis sum & humilis corde* Math. 11. v. 19.

C O N S E C T A R I U M II. Omnes Christiani debent alto animo infigere nihil esse magis spernendum coram Deo, quam pompa sæcularis & sæpiùs illud Christi meditari. *Quod hominibus altum est, abominationis est ante Deum*. Luc. 16. v. 15.

CAPUT II.

De statu eorum, qui forensibus causis occupantur; quales sunt Judex, Ministri Judicis, Litigantes, &c.

ARTICULUS I.

De Litibus.

NOVA. Lis est petitio justi coram legitimo Judice. Lis alia est circa rem; alia circa crimen.

Lis circa rem est ea, quā coram legitimo judice petimus, vel ne res nostra, quam possemus, nobis ab alio subripiatur; vel ut res nostra, quam aliud possidet, nobis reddatur.

Lis circa crimen est ea, quā coram legitimo judice debitam crimini ultionem petimus.

In lite circa rem concurrunt Judex, Ministri Judicis, & partes litigantes. Judex est ille, qui jus dicit. Minister Judicis est ille, qui inservit judici, ut jus dicat. Partes litigantes sunt illi, qui jus petunt à judice.

In lite circa crimen concurrunt, Judex, Ministri, accusator, & testes. Qui sunt Judex, & Ministri jam diximus.

Reus est ille, qui de crimine accusatur coram judice. Accusator est ille, qui appellat reum coram judice. Testes sunt illi, qui testimonium reddunt veritati.

PROPOSITIO 1^a. Litigate in judicio, vel civiliter, exigendo temporalia bona no-

bis justē debita , vel criminaliter , exigendo justam vindictam contra teum , non est peccatum

Probatur 1º. Scriptura. *Judices & Magistros constitues in omnibus populis tuis . . . ut judicent populum iusto iudicio.* Deut. 16. v. 18. Ergo cum Deus constituerit judices , licitum est ab eis justum iudicium exigere.

2º. Ex factis. In lege naturæ quilibet Patriarcha erat iudex in suâ familiâ , ut patet ex iudicio Iudæ contra Thamar. In lege Scriptæ Levitæ erant Judices in toto populo. In lege Evangelica Reges iudicant circa temporalia , Sacerdotes circa spiritualia : ergo cum generalis ille omnium populorum consensus non possit esse malus , litigare non potest esse illicitum.

3º. Ratione. 1a Ratio. Litigare est petere debitum ; hoc autem nullam importat deformitatem , quin imo maximam æquitatem : ergo litigate non est illicitum.

2a. Ratio. Privatus non potest sibi jus dicere , imo aliquando non potest suum negligere , putâ cum id sibi , vel familiæ , vel statui suo est necessarium : ergo licitum est , ut illud coram iudice litigando exigat.

Conjectaria de litibus circa rem.

C O N S E C T A R I U M I. Privatus quilibet potest licite coram iudice litigare , sive ut actor , exigendo , quæ ei debentur , sive ut defensor , tuendo , quæ ab eo injustè exiguntur ; quia potest quilibet bona sua temporalia conservare.

CONSECTARIUM II. Quilibet paterfamilias potest licite coram judice litigare , ut conservet bona filiorum ; quia pater debet filiis justam hæreditatem providere.

CONSECTARIUM III. Quilibet administrator boni publici debet coram judice litigare , ut conservet bona publica ; quia non eorum Dominus est , sed solum custos.

CONSECTARIUM IV. De litibus circa crimen. In Gallia nullus privatus potest coram judice injuriæ acceptæ ultiōnem petere , sed solum reparationem dānni ; persona publica potest solum ultiōnem petere , qualis est procurator Regius coram judice civili , & promotor coram judice Ecclesiastico.

PROPOSITIO II. Quamvis litigare coram legitimo judice sit licitum ; tamen potest fieri illicitum ex circumstantiis ; ideo melius esset non litigare , quam litigare.

Probatur 1^o. Scripturā. *Abstine te à lite , & minues peccata.* Eccles. 28. v. 10.

2^o. Ex Augus. *Lites , aut nullas habeatis , aut quam celerrimè finjatis ; ne ira crescat in odium , & trabem faciat de fistulā , & animam faciat homicidiam.* Aug. in regulā.

3^o. Ratione. Quamvis sua litigando repetere apud Christianum judicem non sit per se peccatum ; concomitatur plerumque tamen peccatum quadruplex , inquit D. Thomas 1^o. Cupiditas rerum temporalium , ex qua solent suscipi lites. 2^o. Discordia & exacerbatio animorum , odia , detractiones inter litigantes. 3^o. Fraudes & praxes captiosæ , quibus conantur causam suam promovere , & adversarios supplantare. 4^o. Scandalum , quo se mis-

tuò ad ejusmodi peccata accendunt, & amicos etiam suos in partes trahunt. Denique cura illa & solicitude litigantium animos rebus terrenis planè immergit, & à Deo avertit. Potest tamen nullum esse peccatum, si cui inçumbat ex officio bona aliena deffendere, aut si liberis vel familiæ necessaria sint.

Litigantes autem totiès peccant, quotiès litigando offendunt virtutem aliquam, vel moralem, vel infusam; quia peccatum est violatio virtutis. Totiès verò obligantur ad restitutionem, quotiès offendunt justitiam commutativam; quia violatio justitiae commutativa obligat ad restitutionem. Ut diximus, ubi de restitutione.

Consectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. *Quis denotat circumstantiam ex parte personæ. Peccat litigans, dum litigat, si ex qualitate personæ lites ei interdicuntur; Quia malum ex quo cumque defectu consurgit.*

Sic juxta D. Thomam Religiosi propria non possidentes, peccant litigando pro bonis temporalibus, non quidem in communi, sed in particulari possidendis. Ideo non liceat eis, id est religiosis, in judicio repetere quasi propria; cum eis non liceat habere proprium, licet tamen eis in judicio repetere ea, quæ sunt communia; non enim hæc faciendo peccant, sed magis merentur: est enim opus Christi defendere, vel recuperare res pauperum, secundum illud Psal. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. In cap. 6. 1a. ad Corinti. Lect. 2.

CONSEC. II. Quid denotat circumstantiam ex parte rei petitæ. Peccat litigans , quando vel petit aliquid injustum , vel denegat aliquid justum. Rapina enim est , aut denegare , quod debemus , aut exigere , quod non est debitum ; itaque rapax est , qui tuetur falsum testamentum , falsam cedulam obligatoriam , vel qui impugnat verum testamentum , vel veram cedulam obligatoriam exequi denegat. De quo D. Thomas. Peccatur , inquit , ex perversitate judicis , putà cum aliquis iniuste , & fraudulentè in judicio procedit , secundùm illud Isaiae 1°. ut opprimerent pauperem , & vim facerent causæ humilium populi mei , & hoc reprehendit Paulus in Corinthiis , ut patet per id , quod subdit , sed vos injurians facitis. D. Thomas ibidem.

CONSEC. III. Vbi denotat circumstantiam Tribunalis. Peccat litigans , cum evocat ad judicem illegitimum , putà causam Ecclesiasticam evocat ad judicem Laicum , aut causam Laicalem ad judicem Ecclesiasticum. Juxta illud. Maledictus , qui perversit judicium. Ideo Paulus inculpat Corinthios , coram illegitimo Tribunali litigantes. Aud. t , inquit , aliquis vestrum habens negotium adversus alienum judicari apud iniquos , & non apud Sanatos. Apostolus , inquit D. Thomas , non prohibet , quin fideles sub infidelibus principibus constituti eorum judicio comparant , si timentur ; hoc enim esset contra subjectionem , qua debetur principibus ; sed prohibet , quod fideles , non a legitimis judicibus judicari a illegitimis judicis accedant. D. Thomas ibidem.

CONSECTARIUM IV. Quibus auxilijs
P. 111

denotatur, Circumstantia mediiorum, quibus utimur litigando. Peccat litigans, si indebitis mediis utatur, etiam ut justum obtineat, v. g. si falsis uratur instrumentis, injustam dilatationem procuret, aut iustam impedit; quia non servat ordinem juris. Ut docet D. Thomas ibid.

C O N S E C . V. Peccat litigans, qui ex fine pravo, aut justum petit, aut tuetur; quia prava intentio vitiat actionem. Sic peccat, qui litigat juxta D. Thomam, *Ex cupiditate, ex avaritiâ, & juxta Cajet. Ex pertinaciâ quâdam vel opprimendi, molestandive causâ.* Unde Lucæ. 12. *Cum quidam de turbâ Domino dixisset, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem, Dominus dixit: quis me constituit judicem, ad dividendum inter vos, posse subdit: Videte, & cavete ab omni avaritiâ.* D. Thom. ibidem.

C O N S E C T . VI. Quomodo circumstantiam modi denotat. Sic juxta D. Thom. ibid. Peccat, qui litigando, non servat debitum modum, v. g. qui cum contentione, & detrimen-
to pacis judicium persequitur, quasi inimicè, & nosa colloquendo inter se, ut ait Cajet. Ut enim dicitur Jacobi 3. v. 16. *Ubi zelus, & contentio, ibi inconstans, & omne opus pravum.* & hoc videtur Apostolus reprehendere in Corinth. *Frater cum fratre judicio contendit.* Id est, non fraternali charitate, sed odio litem persequitur.

C O N S E C T . VII. Quando circumstantiam temporis denotat. Sic peccat, qui litigat eo tempore, quo litigando causat scandalum; *Si contingit, inquit Cajet, quando frater q[uod]*

tra fratrem, aut Religiosi contra Laicos gravatos filiis & filiabus, seu alias indigentes, &c. *Quibus deberent donare, litigant; deberent enim prepositi proponere Capitulo, & cum Capituli Consilio blandâ charitate aut donare, aut differre in pinguiorem fortunam, (hæc enim est vera fides boni dispensatoris rerum Christi) & non scandalizare mundum liibus, quasi suffocando debitorem (redde quod debes) praetextu Ecclesie: quasi Christus non habeat, unde alii unde cultores suos pastas.*

ARTICULUS II.

De Dotibus judicis.

PROPOSITIO I. Dotes cuilibet iudicii necessariæ sunt. 1. Autoritas judicandi. 2. Scientia discernendi. 3. Voluntas constans jus suum cuique reddendi. 4. Fuga cujuscumque venalitatis in judicio exercendo.

Probatur 1º. Scriptura. Autoritatem in iudice requirit Scriptura his verbis. *Tu quis es, qui judicas alienum servum.* Ad Rom. 14. v. 4. Scientiam exigit, dum dicit: *Eрудimini, quia iudicatis terram.* Psal. 2. v. 10. Amorem vero justitiae postulat, dicens: *Juste judica proximo tuo.* Lev. 19. v. 15. Fugam vero cujuscumque venalitatis præcipit, dum judicem ita commonet: *Nec accipies munera, quæ etiam excœant prudentes, & subvertunt verba iustorum.* Exod. 23. v. 8. Ergo quatuor prædicta requiruntur in iudice.

2º. Ex patribus. 1º. Ex Cap. 4. *At si Clerici. De iudiciis: ubi requiritur autoritas in jug*

dice his verbis : *Sententia à non suo judice latè non tenet*: 2°. *Scientia requiritur in judice*, ut patet ex Aug. sic loquente Serm. 35. *Ad fratres in eremo* : *Decet, inquit, judices sapientes esse, & in lege doctissimos, ne dicere valeant, tamquam legem Sanctam ignorantibus, bonum, malum, & malum, bonum*. 3°. *Amor justitiae requiritur in judice*, ut patet ex Ambrosio sic loquente : *Qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere, quod legum est, in judicando; magis sit cordi veritatis custodia, quam obedientia voluntatis*. Can. *Judicet 13. q. 7. 4°*. *Fuga cujuscumque venitatis exigitur in judice*, ut patet, ex Cap. *Cum ab omni. De vita & honestate Clericorum*, ubi sic habetur : *Nec justum judicium iudici vendere liceat, & venales Sententiæ, ab ipsis etiam sacerdibus legibus reprobentur* : *Ergo illæ quatuor jam recensitæ dotes judicibus sunt necessariæ*.

3°. *Ratione*. *Judex est quasi legislator particularis*; Ideò vocatur lex animata : Ergo si ut legislator debet habere autoritatem, quâ possit legem condere ; scientiam, quâ possit sibi subditis, ut oportet, legum sapientiam providere ; amorem æquitatis, quâ nihil injustum statuat ; fugam avaritiae, quâ solum bonum publicum quærat : ita & *judex* debet habere autoritatem, quâ solum sibi subditos & non alios judicet ; scientiam, quâ justum inter & injustum discernat ; amorem justitiae, quo omnibus debitum reddat, nulli verò injuriam faciat ; fugam verò avaritiae, quâ munera cuncta rejiciens, numquam à iusto deflectat.

Consecrarium Generale hujus Doctrinæ in diversas propositiones distributum.

Peccat judex, quoties judicat, vel sine autoritate legitimâ, vel sine scientia competente, vel contra regulas justitiae, vel vendendo judicium; quia in his omnibus casibus munus suum non, ut pat est, exequitur; & si damnum cuiquam inferat, ut pote peccans contra justitiam, tenetur ad restitutionem. Quæ omnia ut Clarius pateant, sint sequentes Paragrapghi.

§. I.

De Judicio Usurpatō.

P R O P O S I T I O unica. Peccat judex, qui judicat sine autoritate, vel ordinaria, vel delegata, vel accessoria, vel arbitraria: Judex verò, qui habet aliquem ex prædictis titulis, potest, & licite, & validè jurisdictionem suam, quantumvis latè pateat, exercere.

Probatur 1º. Scriptuta. *Judices & Magistratus confitues in omnibus portis suis... Ut judicent populum justo judicio.* Deut. 16. v. 18. Ergo judex constitutus per autoritatem legitimam, potest jurisdictionem suam, quantumvis latè pateat, licite & validè exercere: peccat verò, si judicium sine autoritate legitima exerceat; quia usurpat potestatem judicandi.

2º. Ex jure Can. ... Can. accusatores. 3. q. 8. *Nullum Sententia à non suo judice dicta*

constringat. Ergo ea, quæ fertur à legitimo judice constringit, & ita judex ille, qui exercet autoritatem legitimam, bene facit: peccat vero, qui autoritatem judicandi usurpat.

3º. Ex D. Thom. 22. q. 67. a. 1. *Manifestum est*, inquit, *quod nullus potest judicare aliquem, nisi sit aliquomodo subditus ejus, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam.* Ergo peccat, qui judicat sine legitimâ autoritatem; qui vero habet legitimam autoritatem, potest licite & validè eam exercere.

4º. *Ratione.* Judex est quasi-legislator, idè vocatur lex animata: atqui Legislator potest licite & validè exercere eam autoritatem, quam habet; peccat vero usurpando eam, quam non habet: Ergo & judex potest licite & validè exercere eam autoritatem judicandi, quam habet; peccat vero, si usurpes eam, quam non habet.

Consecularia hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Papa potest licite & validè judicare in spiritualibus in tota Ecclesia; quia ibi viget ejus jurisdictio. Id innuit Nicolaus scribens ad Michaëlem Imperatorem his verbis: *Per principatem beatorum Apostolorum Petri & Pauli potestatem jus habemus, non solum Monachos, verum etiam quoslibet Clericos de quacumque Diœcesi, cum necesse fuerit, ad nos convocare:* Ergo & judicare.

Episcopus potest licite & validè in spiritualibus in tota sua Diœcesi judicare; quia ad totam Diœcesim extenditur ejus jurisdictio.

tio. Cum Episcopus , inquit jus Canonicum , in tota suâ Diœcesi jurisdictionem noscatur habere. Cap. 7. De Officio Ordin. in 6°.

Abbas potest validè & licitè in spiritualibus in tota sua Abbatia jurisdictionem exercere ; quia ex privilegio dato à summis Pontificibus , ejus jurisdictione viget in tota Abbatia , ut latè probat VVanespen. par. 3. titu. 12. De exemptione à jurisdictione ordinorum. Quomodo autem Papa , Episcopus Abbas suam debeant exercere jurisdictionem in temporalibus , diximus primo tomo , ubi de extentione legis Ecclesiasticæ.

C O N S E C T A R I U M II. Rex potest licitè & validè exercere suam jurisdictionem in temporalibus in toto suo Regno ; Respublica , in toto suo territorio : Quia habent autoritatem sibi propriam circa temporalia. Quid autem possit Rex circa spiritualia , diximus , ubi de extentione legis civilis in primo Tomo.

C O N S E C T A R I U M III. Delegati à legitimo superiore v. g. à Papa , ab Episcopo , ab Abate , à Rege . à Respublica , possunt judicare validè & licitè secundùm formam suæ delegationis in toto territorio delegationis ; quia habent autoritatem sibi delegatam à legitimo superiore , ut supponimus.

C O N S E C T A R I M IV. Arbitri possunt judicare validè & licitè inter eos , à quibus electi sunt judices ; quia habent autoritatem arbitri autem elegi possunt quicumque , nisi prohibentur à jure , quales sunt servi , mulieres , furiosi , surdi , muti , minores viginti annis , excommunicati. In rebus humanis , inquit D. Thom. Aliqui propria sponte possunt

*se subjicere aliorum judicio, quamvis non sint
eis superiores; sicut patet in his qui compro-
mittunt in aliquos arbitros.* 22. q. 67. a. 1.
Ad. 2.

C O N S E C T A R I U M V. *Judex quilibet
potest validè & licitè judicare reum compre-
hensum in actuali crimine commisso in suo
territorio; quamvis enim reus non sit & sub-
ditus ratione personæ, sit ei subditus ratione
criminis; quare habet in eum accessoriam au-
toritatem.* l. 20. *De jurisdictione* 1. & Cap.
Ut animalium De Constitut. in 6.

Sic Religiosus exemptus delinquens extra
Monasterium, potest validè & licitè judica-
ri ab Episcopo illius Diœcesis, in qua de-
linquit; *quia Episcopus fit superior illius ra-
tione delicti.*

Sic extraneus, v. g. Hispanus, Italus, &c.
potest validè & licitè judicari in eo regno, in
ea urbe, in qua delinquit; *quia, ut dicitur*
Cap. 1. De raptoribus, aliquis sortitus forum
ratione delicti.

C O N S E C T A R I U M VI. Peccant quicum-
que in judicando usurpant alterius jurisdi-
ctionem; *quia, ut optimè ait Greg. Judex
falcem judicij mittere non potest in eam segetem,*
quæ alteri videtur esse commissa. In Deut.
Cap. 23.

Sic peccat judex civilis, qui jurisdictionem
Ecclesiasticam usurpat, vel Ecclesiasticus, qui
sine causa jurisdictionem civilem sibi appro-
priat.

Sic peccat judex superior, qui citra casum
appellationis judicat causam pertinentem ad
inferiorem judicem; *quia usurpat jurisdictionem*
sibi non propriam. Sic

Sic iudicium videntur usurpare , qui merito & cum fundamento habentur ut suspecti alteri ex litigantibus . Cap. *Quod suspecti de appellationibus.* Quia rem male judicat omnis suspectus judex . Suspecti autem juxta iura habentur accusator aut testis . Can. *Nullus unquam.* 4. q. 4. Item qui habet similem causam cum parte . Cap. *Causam de judiciis.* Item qui est alterius Religionis & fidei . Can. *Catholicus.* 2. q. 6.

C O N S E C T A R I U M VII. Peccant qui-
cumque ficto diplomate constituti sunt iudi-
ces ; quia titulus falsus est titulus nullus.

Sic peccat , qui fingit se judicem , & tamen re
vera non est judex . Item qui , ut accipiat
Doctoratum , comparet sub alia persona , &
sub euentito illo gradu judex constitutus est ;
quia tunc , cum non sit verè judex , judicium
tamen usurpat .

Judicia tamen exercita ab eo , qui habet
titulum coloratum , licet tamen falsum , non
improbantur , sed rata habentur à Principe ,
vel ab Ecclesiâ , modò non adsit impedimen-
tum juris , vel naturalis ; vel divini , ut habe-
tur *I. Barbaius* , *ff. De Officio Praetoris* , &
causa 3. q. 7. Can. 1.

Sic Sententia lata à judge occulte excom-
municato est valida ; absolutio verò data ab
eo , qui non est Sacerdos , est nulla .

Si verò judex ille publicè declaretur usur-
pator , cuncta ab eo facta sunt irrita , nisi
rata habeantur à superiore . Can. 1. *Miramur.*

24. q. 1.

§. II..

De *Judicio factō sine scientia competente.*

P R O P O S I T I O unica. Peccat *judex*, qui ex ignorantia, vel negligentia aliter, quam oportet, *judicat*.

Probatur 1. Scripturā. lib. 2. Paralip. 19. v. 5. De Rege Josaphat dicitur: *Constituitque judices terrae in cunctis civitatibus Iudeæ munitionis per singula loca, & præcipiens iudicibus: videte, ait, quid faciat is?* Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaveritis, in vos rediuidabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non enim est apud Deum nostrum iniqtas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Quibus verbis innuitur *judices imitatores Dei esse debere*, qui etsi sciat omnia, nihil tamen *judicat nisi re cognita & persensa*. Unde *judicaturus Sodomitas ait: Descendam, & videbo*; ut per hoc doceat *judices, nihil sine scientia, sine maturo examine esse iudicandum*.

2º. Ex D. Thom. Singuli, inquit sanctus Doctor, *tenantur scire ea, quæ ad eorum statum vel Officium spectant.* 1. 2. q. 75. a. 2. in corp. Ergo *judex* debet habere *scientiam convenientem, & adhibere necessarium examen*, cui utrique *Officio si non satisfaciat, peccat*.

3º. Ratione. *Judex* est *persona publica, dirimens controversies litigantium; atq[ue] illud præstare non potest, nisi scientiam habeat legū, & diligenti examine causas *judicandas* perpen-*

DE STATU LAICALI. 183
dat: Ergo iudex peccat, si ex ignorantia,
vel ex negligentia contra jura judicet.

Consecaria bujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Judex debet habere scientiam legum, secundum quas exerceatur judicium in ejus tribunal, v. g. scientiam legum Romanarum, ubi viget jus Romanum, scientiam consuetudinum, ubi viget consuetudo.

C O N S E C T . II. Judex, ne dum debet habere scientiam legum, sed debet insuper prudenti examine, & indefessa diligentia eam peritiam ad causas propositas applicare, exemplo Job, qui sic de se ipso loquitur: *Pater eram pauperum, inquit, causam, quam nesciebam diligentissime, investigabam.* Job. 29. v. 16. Judicibus enim dictum est: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Patal. 2. 2. p. 19. v. 7.

C O N S E C T A R I U M III. Judex in illo examine debet determinare questiones juris per jus scriptum, vel non scriptum, juxta praesentem vigorem; questiones vero facti per instrumenta & testes: quia leges scriptæ vel non scriptæ universalia juris præcepta continent; instrumenta vero & testes facta determinant. De legibus, ita Aug. De vera Religione. Cap. 31. *Cum leges fuerint institutæ & formatae, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.* De testibus & instrumentis ita Ambros. in Psal. 118. Serm. 1. *Bonus iudex... Sicut audit, ita iudicat.*

Sic iudex debet leges in veriorem aut pro-
R. ij

babiliorem sensum accipere , numquam verò in falsum aut minus probabilem detorquere . Testimonia verò & instrumenta scripta debet suscipere si certa sint ; rejicere , si sint falsa ; exactè examinare , si sint dubia .

Sic judex in illo examine non debet sequi privatam scientiam , quam habet , sed dirigi per scientiam publicam , quam depromit , vel ex legibus , vel ex instrumentis , vel ex testibus : judex enim est persona publica , non declarans , quid ipse sentiat , sed pronuntians , quid leges imperent , quid instrumenta ferant , quid testes enuntient .

C O N S E C T A R I U M IV. Judex in illo-
tum legum , tum instrumentorum examine ,
tum testium auditione , multa debet obser-
vare .

1°. Non debet judicare nisi audit a utraque
parte , ut ait Gregor lib. 7. Epis. 45.

2°. Debet moveri ad judicandum tribus
capitibus , inquit Lateranense 4. Cap. 8. Sci-
licet accusatione , denunciatione , & inquisi-
tione . Excipiuntur crima notoria , in qui-
bus sufficit facti evidētia . Cap. 9. Evidētia .
De accusationibus .

3. Debet omnia acta processūs per perso-
nam publicam , vel per duos viros idoneos
exequi , aliās processūs est nullus . Lateran:
Ibidem .

4°. Non debet admittere actorem ad litigandum , nisi libellum de causa dederit . Cap.

I. Ignarus .

5°. Non debet ferre Sententiam contra ab-
sentem , nisi citatus nolit comparere . Conci-

§. III.

*De iniquo iudicio, vel quoad objectum, vel
quoad modum procedendi.*

PROPOSITIO unica. Peccat judex, qui
quocumque modo corruptus, vel odio, vel
amore, vel timore, vel precibus judicat dif-
formiter ad leges, sive injustitia sit circa sub-
stantiam rei, sive circa modum procedendi.

Probatur 1. Scripturâ. *Quod justum est,*
judicate; sive civis sit ille, sive peregrinus.
Nulla erit distantia personarum, ita parvum au-
dieris, ut magnum; nec accipietis cuiusquam
personam; quia iudicium Dei est. Deut. c. 1.
v. 16. Ergo peccat judex, qui justum non
judicat iuste, id est, qui non sequitur for-
mam juris.

2^o. Ex Ambros. Loco citato. *Constitue iu-*
dicem, inquit, De hoc saeculo, numquid potest
adversum Imperatoris formam venire rescripti?
Ergo judex tenetur secundum formam juris
judicare.

3^o. Ratione. Judex non est legum Domi-
nus, sed subditus; non est legum judex, sed
custos: Ergo tenetur iuxta leges judicare;
ergo peccat, si judicer contra formam juris,
sive injustitia attingat substantiam rei judi-
candæ, sive modum procedendi, nisi æquitas
postulet, quod modus ille procedendi in cer-
tis casibus sine justitiae præjudicio omittatur:

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat judex, qui corruptus odio, damnat innocentem, vel emollitus falsâ misericordiâ, absolvit reum; quia judicat dissimiliter ad leges; ideo dicit scriptura: *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uerque apud Deum.* Prov. 17. v. 15.

C O N S E C T . II. Peccat judex, qui judicando inter pauperem & divitem, res divitis attribuit pauperi; quia in judicio oportet tam diviti, quam pauperi jus suum tribuere: *Pauperis quoque, inquit, Deus non misereberis in judicio.* Exod. c. 23. v. 3.

C O N S E C T . III. Peccat judex, qui timore correptus, vel reis divitibus indulget, vel pauperes contra divitum vexationem non tuetur. *Noli, inquit Sacra Scriptura, querere fieri judex, nisi valeas virtute irrumperem iniquitates.* Eccli. 7. v. 6.

Hujus criminis rei sunt judices, qui, ut Magnatum vindictæ serviant, iniquè damnant innocentes: ut fecit Pilatus, qui audiens, quod non esset amicus Cæsar, si Christum morti non addiceret, statim illum damnavit, quamvis sciret cum esse innocentem.

Hujus criminis rei sunt, qui, ut Magnatum serviant cupiditati, eorum rationes audiunt, pauperum vero rationibus non attendunt. De hoc ita Isaïas. Cap. 1. v. 23. *Pupillo non judicant: & causâ viduæ non ingreditur ad illos.* Et rursus Eccles. Cap. 4. v. 10. *In judicando esto pupillis misericors, ut Pater,*

& pro viro matri illorum. Id est jus pupillorum tuere, non secus ac si filii tui essent.

Hujus criminis rei sunt ; qui apertam vi-
dentes oppressionem, vel contra innocentem,
vel contra pauperem, injustâ suâ sententiâ,
& innocentis occisionem confirmant, & pau-
peris oppressionem corroborant ; uti fuerunt
impii judices, qui ad instantiam Jezabel in-
nocentem Naboth condemnatarunt, vineamque
ejus fisco addixerunt. Quod factum ita expro-
brat propheta : *Occidisti, & possedisti.* Illud
idem objicit judicibus sui temporis Isaías :
Vos enim depasti estis vineam, & rapina pau-
peris in domo vestra. Isa. Cap. 3. v. 14.

C O N S E C T. IV. Peccat judex, qui se-
cundum formas juris requisitus, justitiam red-
dere denegat, sive id faciat, ut faveat male-
factoribus; sive ut renuat tutelam innocentí-
bus. Utrumque execratur Dominus : *Male-*
ficos, inquit, non patieris vivere. Exod. 22.
v. 18. Et postea ait : *Insontem & justum non*
occides; quia aversor impium. Exod. 23. v. 7.

C O N S E C T. V. Peccat judex, quoties in
modo procedendi non observat formas juris ad
investigandam veritatem necessarias, v. g. ju-
dicat sine dilationibus necessariis, aut super-
fluas concedit, quoties justas exceptiones non
admittit, aut ineptas recipit; quoties inter-
rogat circa ea, circa quæ non debet interro-
gare; aut necessarias interrogations omittit;
quoties differt, ultra quam par est, proferre
senteniam, aut cum prolatâ est non vult
eam partibus litigantibus communicare; quia
in his singulis casibus agit contra formam
juris.

CONSECT. VI. Peccant judices, qui in ea curia, in qua sunt judices, directe vel indirecte sollicitant alios judices. 1°. Quia id cavetur edictis Regum, & ita sunt transgressores legis justæ. 2°. Quia jurarunt se observaturos edicta Regum; & ita sunt perjuri. Verba autem edicti sic habent. *Ordonnance de Blois. art. 120.* *Deffendons à toutes nos Cours Souveraines, & autres, de s'entremettre, de recommander, ou solliciter les procès des parties playdantes en icelles, sur peine d'être privéz de l'entrée de nos Cours & Sièges, & de leur gages pour un an.* L'*Ordonnan. de François I. 1539. art. 124.* dit. La même chose.

S. IV.

De Judicio venali.

PROPOSITIO unica. Peccat judex, quoties contra Regum edicta aliquid pretio estimabile accipit, vel ut jus dicat, vel ut alicui partium faveat, vel ut crimina impunita relinquit.

Probatur 1°. Scripturâ. *Maledictus judex, qui accipit munera, ut percutiat animam Sanguinis innocentis.* Deuteronomii. 27. v. 25.

2°. Ex Clero Gallico damnante istam propositionem: *Possunt judices accipere munera à litigantibus; nec tenentur restituere, quæ acceperint ad pronuntianandum Sententiam.*

3°. Ratione. Per legem duodecim Tabularum; Judex, qui accipit munera, punitur pénâ capitali jure Gallorum punitur eadem pénâ; quâ crimen repetundarum. Edicto Au-

DE STATU LAICALI. 189
telianensi artic. 43. Moliniensi artic. 19. Ble-
sensi artic. 114. Quæ omnia denotant judicem
accipiendo munera graviter peccare.

Confessaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant graviter
judices, sive superiorum, sive inferiorum cu-
riarum, qui à Magnatibus pensiones, redditus-
ve accipiunt. Id vetant edita Regia locis ci-
tatis; quos omnes ita commonet Job 15. v. 34.
Ignis, inquit, devoravit tabernacula eorum,
qui munera libenter accipiunt.

CONSECTARIUM II. Peccant judi-
ces, qui pro commisso aliquo crimine com-
ponunt, id est, cessant à punitione criminis
modò ipsis, aut parti civili, pecunia aliqua
impendatur; quia 1º. Pecuniam accipiunt pro
non reddenda justitia. 2º. *Quia in causâ sunt,*
quod crima debitis poenis non puniantur. 3º.
Quia id ne faciant, gravibus poenis propo-
sitis prohibetur per edicta Regia; ita enim lo-
quitur Franciscus I. Galliae Rex Cap. 43.
Art. 51. *Défendons à toutes personnes, qu'a-*
yant Justice & connoissance des cas criminels
& aux Officiers, soit nôtres, ou autres de met-
tre en composition aucun accusé de crime, à
peyne de privation de leurs jurisdictions, &
Offices.

CONSECTARIUM III. Peccant judices
qui fallaciis quibusdam, quas mala induxit
consuetudo, aut lucri cupiditas, utuntur,
quibus lites de die in diem producant, qui-
busve litigantes pluribus expensis exponant,
quæ in ipsorum cedeant utilitatem. Ita enim

fit, ut licet munera non accipient, saltem munera utilitatem acquirant. Quales sunt, ut Gallicis verbis dicam: *ceux qui jugent es Parquet, ce qu'ils pourroient juger en Audience, qui taxent les dépens excessivement*, &c.

Hinc enim fit, ut qui justam causam tuerintur, litigare vix audent. Qui è contra iniquam causam sustinent, litigare indesinenter querant, quæ manifesta est perversio iudiciorum. Istiusmodi abusibus Forum iustitiae fit iniquitatis azilum. Quod maximè dolet Amos Prophetā 5. v. 7. *Convertitis, inquit, iudicium, in absynthium. Et justitiam in terra relinquitis*

Isaias è contra describens justi judicis extum, sic habet: *Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem; qui projicit avaritiam ex calunia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum: iste in excelsis habitabit . . . Regem in decore suo videbunt oculi ejus.* Cap. 33. v. 15. 16. 17.

ARTICULUS III.

De Requisitis in iudicio criminum.

PROPOSITIO unica. In iudicio criminalis quatuor requiruntur, judex legitimus, actor non ex odio, sed ex zelo iustitiae accusans e, aut denuncians, reus legitimè accusatus, & testes irrefragabiles.

Probatur. 1º. Scripturā act. 25. v. 26. Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem; priusquam eis, qui accusatur, praesentes ha-

beat accusatores, locumque defendendi ad abluenda crima accipiat. Ubi scriptura morem Romanorum approbat, apud quos non exercebatur judicium contra crimina, nisi esset legitimus judex, auctor non malitia ductus, sed amore justitiae; testes irrefragabiles, & reus legitimè accusatus. Totum id patet exemplo Pauli, qui, ut pote civis Romanus, appellavit Cæsarem tamquam judicem legitimum, & non ab alio quam à Cæsare voluit judicari, quique non condemnatus est à Cæsare; quia non presentes habuit accusatores, testesque irrefragabiles; è contrà absolutus est quia non legitimè accusabatur.

2º. Ex jure Canonico. Cap. 2. qualiter de accusatione, ubi hæc habentur; *Videmus Deum non protulisse sententiam contra Adam nisi prius vocatum, auditum, & defensum: ergo sicut Adam non condemnatus est, nisi legitimè accusatus, legitimè convictus, & accepta à legitimo judice libertate defendendi se; ita nemo in judicio criminis damnari potest, nisi hæc quatuor interveniant, scilicet legitimus judex, legitimus accusator, testes irrefragabiles, & libertas reo defendendi se.*

3º. Ratione. Judicium humanum debet esse imitatio divini judicii: uti enim autoritas judicandi hominibus communicata, participatio est autoritatis, quam habet Deus judicandi homines; ita & debet esse imitatio illius: atqui in judicio divino reperitur. 1º. Judex legitimus, scilicet Deus. 2º. Auctor plenus justitia accusans & denuntians nos, scilicet Deus ipse, vel creature, quibus

Deus utitur ad accusandum nos. 3°. Testis irrefragabilis scilicet , testimonium conscientiae nostrae , & testimonium creaturatum ; demum reus legitimè accusatus , scilicet reprobi , qui damnandi sunt : ergò & hæc quatuor requiruntur , quoties exercetur judicium humanum contra crimina.

Consecrarium generale hujus Doctrinæ in diversas propositiones distributum.

Toties peccatur in judicio criminum , quoties vel accipitur judex illegitimus , vel rejicitur legitimus ; quoties non admittitur actor legitimus , vel non rejicitur illegitimus ; quoties testes veraces & irrefragabiles rejiciuntur , fallaces vero admittuntur ; demum quoties reus plenè convictus non punitur , aut innocens non absolvitur ; quia in his omnibus casibus judicium pervertitur.

§. I.

De officio judicis in causâ criminis.

PROPOSITIO I. Judex in causâ criminis nullum hominem , quantumvis reum , debet judicare , nisi suprà illum autoritatem habeat , vel ordinariam , vel delegatam , vel accessoriām.

Probatur Ratione. Ex dictis constat , quod si judex judiceret sine aliquo ex prædictis titulis , usurpat autoritatem , quam non habet : ergo peccat.

Consecraria

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Judex civilis non potest procedere contrà Clericum , vel Monachum , quotiè agitur de crimine vulgari , & non privilegiato , ut habetur Cap. 5. Clericis . Cap 1°. Cum non ab homine de judiciis . Potest tamen judex civilis procedere contrà Clericum vel Monachum , si sit incorrigibilis , exautoratus à judice Ecclesiastico , & traditus curiæ sacerdoti , ut habetur ibidem & Cap. Novimus de verborum significatione . Quia in primo casu , judex civilis non habet autoritatem , bene tamen in secundo , ut notant predicti textus .

C O N S E C T A R I U M II. Judex Ecclesiasticus non potest procedere contrà Laicum vulgari crimine accusatum , ut patet ex Cap. Generali de foro competenti . bene tamen , si Laicus accusetur crimine , cuius notitia pertineat ad jurisdictionem Ecclesiasticam ; qualis est omissio communionis Paschalis ; invalida Matrimonii contractio . Cap. 13. *Novit de judicio.* Quia in primo casu judex Ecclesiasticus non habet autoritatem , bene tamen in secundo .

P R O P O S I T I O III. Judex habens legitimam autoritatem vel ordinariam , vel delegatam , vel accessoriā , debet juxta juris formas procedere .

Probatur Ratione . Ut judicium sit justum , debet secundum formas juris , ut dictum est , exerceri ; quia bonum ex integrâ causâ ergo judex debet secundum formas juris judicare .

Conseſtaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T. I. Quoties agitur de criminis commisso, debet præcessisse, vel accusatio, vel denunciatio, vel inquisitio, ut habeatur saltem semi-plena probatio contra reum, qui accusatur; quia contra crimen omnino occultum nullam judex potest habere autoritatem; judex enim est persona publica, cujus non est occulta scrutari, sed solum publica punire. Rursum ut persona publica ex scientia non privata, sed publica debet procedere.

Sic judex non potest contra reum agere ex vi notitiae extra judicialis, qualis esset confessio facta judici, aut sponte extra judicium aut inadvertenter ex lapsu linguae, aut ex apertione literarum, quas reus vel amico, vel procuratori, vel advocate suo scriberet.

C O N S E C T. II. Quotiescumque agitur de criminis, non commisso, sed committendo, judex potest sine præviâ accusatione, inquisitione, & denunciatione crimen illud, cuius commissio preparatur, impedire; quia judex habet autoritatem impediendi quodcumque crimen, quod vergeret in præjudicium Reipublicæ.

Sic prælati possunt, imò tenentur specialiter inquirere etiam de non diffamato, ut præcaveant, ne elegantur indigni. Cap. *cum in multis.* Et Cap. 3. *Dilectus de electione.*

Sic & prælati possunt inquirere circa impedimenta Matrimonii, cum timetur, ne

Matrimonium , vel invalidè , vel illegitimè contrahatur.

P R O P O S I T I O III. Judex habens legitimam autoritatem , vel ordinariam , vel delegatam , debet procedere secundum formam juris , & judicare secundum allegata & probata.

Probatur Ratione. Judex judicat , non ut persona privata , sed ut persona publica : ergo debet judicare secundum scientiam publicam ; ergo secundum allegata & probata.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C. I. Peccat judex , qui vel accusatores legitimè procedentes rejicit , vel illegitimè procedentes admittit : quia acceptio personarum ubique damnabilis , sed præcipue in judicio. Ideò dicitur. Deuteron. Cap. 16. v. 18. *Judices & Magistros constitues . . . Ut judicent populum justo judicio nec in alteram partem declinent.*

Sic nec divitis accusatio contrà pauperem prætextu misericordiae rejicienda , nec pauperis accusatio contrà divitem prætextu honoris erga dignitatem rejicienda : esset enim ibi acceptio personarum ; quia juxta Divum Thomam. Lect. 2. super Cap. 2. ad Galatas. *Nihil est aliud propriè accipere personam , quam considerare conditionem personæ nihil facientem ad negotium.* Unde Levit. Cap. 19. v. 15. dicitur : *Non facies , quod iniquum est , nec injustè judicabis. Non consideres personam pauperis , nec honores vultum potensis . justè judica proximo tuo.*

Sij

CONSEC. II. Peccat judex , qui vel testes suspectos audit, vel veraces rejicit, ut sic alteri partium faveat . judex enim mediator est inter eos , qui judicantur. Sicut ergo medium æqualiter se habet ad utrumque extremum , ita affectus judicis in neutrā partem debet propendere , & cum gerat personam Dei , debet in judicando cujuscumque passionis expers esse , sicuti Deus. Debet ergo testimoniū dicta cautē examinare , ut̄ fecit Deus scelera Sodomitarum examinans : descendam ait & videbo. Debet testimoniū falsitatem exquirere , ut̄ fecit Daniēl , confundens falsos testes Susannam accusantes.

CONSEC. III. Peccat judex , qui circa reum , vel damnandum , vel absolvendum , aut sufficiētes non admittit probatiōnes , aut probatiōnes plures , quām oporteat exigit: oportet enim in omnibus sapere ad sobrietatem , sed precipue in judicando.

Sic si secundūm allegata & probata , qui revera reus est , innocens appareat . sine morā absolvendus est , p̄t̄ certim cum nullūq̄ iudicetur contra Rēpublicam detrimentum ; quā pr̄stat judicēm in causis criminalibus benignum esse , quām severum.

Sic ē contra , qui reverā est innocens , si secundūm allegata & probata reus appareat , tunc totis viribus enīdendum , ut liberetur , vel clam aperiendo carcerem , vel procastinando judicium , vel timorem injusto accusatori & falsis testimoniis incutiendo , vel demūm cedendo ab officio judicis , & injustè accusatum ad alium judicem remittendo.

Quod si nequeat pr̄dictis mediis innocen-

DE STATU LAICALI 197
tem liberare, poterit secundum allegata &
probata sententiam pronuntiare , ut dicit
Divus Thomas .

PROPOSITION IV. Judex procedens
contra reum accusatum , & convictum , tene-
tur cum pœnis à lege præscriptis addicere.

Probatur. 1º. Scripturâ. Deuteron. Cap. 25.
v. 2 Pro mensura peccati erit & plagarum mo-
dus : ergo judex non potest reum infra vel
ultra condignum punire.

2º. Ratione. Judex in processione judiciali
contra reum debet ; & parti læsæ providere ,
& Reipublicæ causam gerere : ergo tenetur
reum justis pœnis addicere , tūm ut parti læsæ
debitam satisfactionem rependat , tūm ut
Reipublicæ justam scelerum punitionem pro-
curet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSEC. I. Judex inferior sine licentiâ
Principis non potest , aut pœnam remittere ,
ut videatur misericors ; aut eam aggravare ,
ut appareat severus ; sed pœnas præscriptas à
lege debet infligere ; quia judex legi debet
subjicit , & non dominari.

CONSEC. II. Judex supremus habens
potestatem à Principe , potest justâ de causâ ,
vel ex parte , vel secundum totum pœnas
corporales , vel insamiantes reo remittere ;
præcipue si hujusmodi relaxatio non vergat
in præjudicium Reipublicæ , sed è contra
emolumenitum aliquod sit ablatura , v. g. si
reus sit Reipublicæ utilis ; quia principis est

legum pœnas temperate , & bono Reipublicæ
providere.

C O N S E C., III. Peccat judex , qui carceris ærumbas ita aggravat ; ut carcer , qui institutus est , ut sit reorum custodia , fiat incarceratis supplicium longè gravius , quām possiat esse pœnæ , quibus addicendi sunt. Peccat ergo judex , inquit Navarrus , qui non visitat carceres , aut non procurat , ut in eos conjectis necessaria vitæ suppeditentur,

S. II.

De Accusatore.

Nota. Accusatio est criminis alicujus , & ejus , qui illud admisit , apud judicem facta delatio , observatâ formulâ accusandi.

Denunciatio est criminis latentis facta judicii annuntiatio , non observatâ formulâ accusandi.

Inquisitio est actio , quā judex nomine accusante disquirit , an aliquis deliquerit , vel quis tale delictum commiserit.

Hæc omnia educuntur ex Cap. Qualiter De accusationibus ; & inquisitionibus.

De iis , qui possunt , vel non possunt accusare.

P R O P O S I T I O I. Illi omnes possunt accusare , qui expressè per jura non prohibentur.

Probatur Ratione. Accusare nihil est aliud , quām motivo justitiae exigere eoram judicem pœnam debitam criminis ; quod si maneret im-

punitum, vergeret in detrimentum Reipublicæ: atqui omnes id possunt, nisi expressè per jura prohibeantur: ergo accusare possunt omnes, nisi expressè jura obstant.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECT. I. Omnes sive viri, sive fœminæ, sive rei, sive innocentes possunt accusare in atrocibus criminibus v. g. in crimen læsæ majestatis, hæreseos, simoniæ. Cap. Tanti Cap. licet Heli de Simon.

CONSEC. II. Accusatus etiam pendente lite potest suum accusatorem accusare de maiore crimen. Can. Non est 3. q. II.

PROPOSITIO II. Illi omnes jure prohibentur accusare, qui præsumuntur non agere motivo justitiæ, sed aliis motivis.

Probatur. Accusare est petere motivo justitiæ pœnam debitam criminis, quod impunitum vergeret in præjudicium Reipublicæ: ergo omnes illi merito prohibentur accusare, qui non præsumuntur agere motivo justitiæ.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSEC. I. Juxta jus civile simul & Canonicum accusare non possunt infames, & facinorosi, ut perjuri, malefici, fures, adulteri, homicidæ, factilegi, conspiratores in Regem, in patrem, &c. Quia eujusmodi crimina, postquam comperta sunt vera, infamiam inurunt, qui verò infamia laborant, rectè censentur justitiæ studio ad accusandum non adduci.

Accusare pariter non possunt capitale crimen confessi , aut de eo accusati pendente lite, neque inimici illius , qui accusatur , nec ejusdem criminis rei , quia presumuntur non agere amore justitiae.

Juxta jus Canonicum accusare non possunt suspecti in fide, quales sunt hæretici , excommunicati. Can. *omnis*. Item personæ viles, nec Clericos , nec Sacerdotes , nec Episcopos accusare possunt.

Accusati pendente lite non possunt accusatores suos accusare , vel minori , vel pari crimine, bene tamen majori. Can. *Cum non est* Can. *Neganda*. iii. q. ii.

CONSECTARIUM I I. Juxta primum jurisprudentiæ Gallicanæ nullus privatus potest accusare , sed solum potest compellere procuratorem Regium , vel fiscalem , ut ipse met accuset , quasi vindex publicus criminis vergentis in Reipublicæ damnum.

*De iis , qui debent accensare , & quomodo
debeant accusare.*

PROPOSITIO I. Illi omnes accusare debent , qui sufficientes habent probationes, quibus convincant reos , quorum impunitas prævidetur Reipublicæ nocitura.

Probatur 1°. Scrip. Levi. C. 5. v. 1. Si pectoraverit anima , & audierit vocem jurantis , testisque fuerit , quod ipse vidit , aut conscius est : nisi indicaverit , portabit iniuriam suam.

2°. Ex Divo Thom. 2. 2. q. 68. a. 1. in corpore ubi sibi habetur : Si crimen fuerit tale,

quod vergat in detrimentum Reipublicæ , tene-
tur homo ad accusationem : dum modò sufficienter
possit probare . . . Si autem non fuerit tale
peccatum , quod in multitudinem redundet , vel
etiam si sufficientem probationem adhibere non
possit non ieneritur ad intentandum accusationem :
quia ad hoc nullus tenetur , quod non potest de-
bito modo perficere ,

3° Ratione. Quodlibet membrum Reipublicæ
debet , quantum in se est , bonum Reipublicæ
intendere , & malum à Republica avertire ;
quod fieri nequit , si impunita remaneant sce-
leratorum crimina : ergo qui habet sufficien-
tes probationes , tenetur reum accusare , cu-
jus impunitas prævidetur Reipublicæ noc-
tura.

Consectaria hujus Doctrinæ

C O N S E C T A R I U M I. Totiès abstinere
debemus à denunciatione , & accusatione , &
uti debemus solà correctione fraternâ , quo-
tiès crimen non vergit in præjudicium Rei-
publicæ ; quia tunc huic malo per solam
correctionem mederi possumus. De hoc ita
D. Thom. 2. 2. q. 33 a. 7. in corpore. Que-
dam sunt peccata , quæ solùm sunt in malum
peccantis , & ejus , in quem peccatur ; vel quia
a peccante solùm lœditur , vel saltem ex sola
notitia : & tunc ad hoc solùm tendendum est ,
ut fratri peccanti subveniatur , scilicet per fra-
ternam correctionem.

C O N S E C. II. Quotiès crimen vergit in
præjudicium Reipublicæ , v. g. vergit in
multitudinis corruptelam spiritualem , ut sit
per hæresim & vel in corruptelam corpora-

lem , ut sit per coniurationem in Principem in Rempublicam , ut sit etiam per falsificationem monetarum , per rapinam publici ærarii , et si crimen sit occultum , & probari non possit , & correctio fraterna non videatur sufficiens : tenemur denunciationem , & non accusationem coram judge adhibere ; quia ut ait D. Thom. loco citato : *Hæc est differentia inter denunciationem , & accusationem , quod in denunciatione attenditur emendatio fratris , in accusatione autem attenditur punitio criminis.* Punitio autem criminis non potest fieri , nisi post accusationem ; emendatio vero potest haberi per denunciationem. Ideo D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7. In corpore sic habetur : *Quædam enim peccata occulta sunt , quæ sunt in nocumentum proximorum , vel corporale , vel spirituale , putà si aliquis occulè tractet , quomodo civitas tradatur hostibus , vel si hæreticus privatim homines à fide avertat.* Et quia ille , qui sic occulè peccat , non solum in te peccat , sed etiam in alios ; opportet statim procedere ad denunciationem , ut hujusmodi nocumentum impediatur ; nisi forte aliquis sumiter existimaret , quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.

CONSEC. III. Totiès accusatione utendum est , quotiès crimen vergit in multitudinis corruptelam , & quotiès est publicum : quia aliter huic malo mederi non possumus ; nec à justa accusatione retinere nos debet fidelitas in servando secreto ; quia , ut optimè ait D. Thom 2. 2. q. 68. a. 1. Ad tertium. *Revelare secreta in malum personæ , est contra fidelitatem :* non autem si

DE STATU LAICALI. 203
revelentur propter bonum commune , quod semper preferendum est bono privato. Et docens , quo in casu , & debeamus recipere . & servare secretum , sic prosequitur : contra bonum commune nullum secretum licet recipere , imò si receptum sit , non injustè proditur. Et insuper , ut ait idem Doctor , Non omnino est secretum , quod per sufficientes testes probari potest ; & ita accusare debito modo , non est contra fidelitatem secreti.

CONSEC. IV. Totiès accusatione utendum est , quoties loco nocentis innocens malitiosè accusatur , & metus est , ne injustè capitali pœna daminetur , vel etiam pœnâ diffamante : quia bonum publicum exigit , ut reus potiusquam innocens puniatur.

PROPOSITIO II. Omnis accusatio injusta redditur , vel per calumniam , falsa crimina imponendo , vel per prævaricationem , fraudem scilicet in accusatione adhibendo , vel per tergiversationem , omnino videlicet ab accusatione desistendo.

Probatur 1º. Ex jure Canon. 8. 2. q. 3. Can. Si quam pœnituerit. Accusatorum temeritas tribus modis detegitur , aut enim calumniantur aut prævaricantur , aut tergiversantur.

Probatur 2º. Ratione. Accusatio sit , ut Reus debitâ pœnâ puniatur : ergò totiès erit injusta accusatio , quoties per calumniam non Reus , sed innocens accusabitur ; quoties per fraudem Reus , vel infrâ , vel ultrâ condignum punietur : & quoties malitiosè ab accusatione justâ & necessariâ cessabitur.

Conjectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant & ad restitutionem tum famæ , tum bonorum temporalium , tenentur , qui calumniosè accusant. 1°. Peccant , quia calumnia est peccatum. 2°. Tenentur ad restitutionem , quia ex dictis , ubi de restitutione , peccatum contrà justitiam commutativam obligat ad restitutionem. Ideò secundum jura puniuntur pœnâ Talionis. 2 q. 3. Can. *Qui non probaverit , ubi sic loquitur Adrianus Papa. Qui non probaverit quod objicit , pœnam quam intulerit ipse patiatur.* Et D, Thom. 2. 2. q. 68. a. 4. Ad 2. Dicendum , quod ille qui male accusat , peccat , & contrà personam accusati. Quem calumniatur , & contrà rem publicam , quam lèdit in membris suis. Ideò propter utrumque punitur , pœnâ scilicet Talionis , quam vel accusatus potest remittere , quatenus est offensus , vel Princeps , quatenus gerit vices Reipublicæ.

CONSECTARIUM. II. Peccant , & ad restitutionem tenentur , quicumque fraudem aliquam in accusatione adhibent. 1°. Peccant , quia uti fraudibus est peccatum. 2°. Tenentur ad restitutionem ; quia ex dictis ubi de restitutione , peccatum contrà justitiam . qualis est scaus in accusatione proximi , obligat ad restitutionem : fraudes autem in accusatione semper sunt injustæ ; quia aut ed tendunt , ut damnetur innocens , qui absolvendus est , aut ut liberetur Reus , qui damnandus est.

CON-

CONSECTARIUM III. Peccant & ad restitutionem tenentur , quicumque malitiosè ab accusando desistunt ; & si quod vel Reipublicæ , vel reo damnum intulerint , tenentur ad restitutionem. 1º. Peccant , quia desistunt ab accusatione , quam tenentur perseguiri. 2º. Obligantur ad restitutionem ; quia agunt contrà justitiam , quâ jubetur , ut accusatio incepta finiatur , vel ut absolvatur accusatus , si sit Innocens , vel ut puniatur , si sit Reus.

§. III.

De Reo.

Hactenus de accusatore egimus , jam de eo , qui accusatur , agendum est. Ille autem , qui in judicium vocatur , in triplici statu potest esse ; vel est omnino innocens coram Deo , & coram hominibus. 2º. Vel Reus est solum coram Deo , & innocens coram hominibus. 3º. Vel Reus est coram Deo , & coram hominibus. Quomodo autem accusatus possit , aut debeat in triplici illo statu sese defendere variis Sectionibus statuemus.

SECTIO PRIMA.

Monitum quo modo Confessario agendum cum eis , qui accusantur.

SI Confessarius velit saluti ejus , qui accusatur , prudenter providere , hæc ab eo Religiosè observanda sunt.

1º. Præmoneat accusatum sibi Confessario
Tom. VI.

T

id solum onus impositum , ut saluti animæ invigilet , minimeque verò , ut litibus se se inimisceat , sibi Confessario , nullam esse , aut debere esse familiaritatem , qua possit vel prodessè , vel obesse , solisque tantum precibus posse coram Deo accusatos adjuvare , sibi Confessario non aliud negotium demandari , quam ut accusatos ad sinceram cordis contritionem , & fructuosam confessionem in Tribunali pœnitentiarum faciendam adhortetur , demum se vices Christi gerere , qui latronem non è manibus judicium liberavit , sed verè contritum & sincerè Confessum absolvit.

2º. Præmoneat accusatos nihil esse Confessario occultandum , quia sola criminis Confessione , potest apud Deum obtineri veniam , tum quia nihil est periculi , quod judicibus notum fiat id , quod Confessario dicitur , eum nihil Religiosius observet ut à Sacerdotibus , quam secretum Confessionis. Reum potest , imo debet frequentè invisere , & eum de his , quæ salutem spectant animæ , præmoneat. Sed prudenter faciet , si ad Confessionem Sacramentalem accusatum non admittat , nisi postquam in foro profano res sunt liquidæ ; vix enim adigi poterit , ut omnia , quæ crimen , de quo accusatur , respiciunt , fateatur , ob timorem , ne deferatur , vel ne cogatur à Confessario eadem fateri judici.

SECTIO II.

*De his, quæ non possunt licetè fieri ab eo,
qui accusatur.*

PROPOSITIO unica. Nemo, sive reus, sive innocens, sive legitimè, sive illegitimiè accusetur, potest in processu judiciali malas artes, quibus defendat sese, adhibere.

Probatur Ratione. Nemini unquam licet in defensione excedere modum inculpatæ tutelæ; quiā defensio aliundè justa, fit per excessum illum injusta: atqui adhibens malas artes in defensione judiciali, excedit modum inculpatæ tutelæ, ut patet: Ergo nemini licet in processu judiciali adhibere malas artes, quibus sese defendat.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Qui omnino Innocens est, & coram Deo & coram hominibus, licet injustè accusetur, non potest tamen innocentiam suam tueri, aut per mendacium, aut per calumniam, aut per detractionem. Isthæc enim media sunt ab intrinseco mala, & proindè illis uti nequaquam liceta.

Sic innocens, et si injustè accusatus, nec testibus, nec judici potest falsa crimina impone, aut oculta eorum delicta publica reddere; quiā & calunnia & detractione sunt ab intrinseco mala, & satius est innocentem reum haberi coram hominibus, quam per hæc crimina nocentem fieri coram Deo, exemplo.

Christi, qui licet innocens & illegitimè accusatus, tamen noluit se adversus accusatores, testes, judices calumniosè se defendere. *Recognitatem enim*, inquit Paulus ad Hebreos 12. v. 3. *eum*, qui *talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem*, ut ne *fauigemini, animis vestris deficientes*. Exemplo est idem Paulus, qui licet innocens, & illegitimè accusatus, nec Judæos accusatores, nec testes, nec judicem coram Cæsare accusavit, sed solum innocentiam suam sine ullo vindictæ affectu tuitus est.

C O N S E C T A R I U M II. Qui reus est dumtaxat coram Deo, oculti scilicet criminis, quod nequit probari juridicè, licet injustè accusetur coram hominibus, nequit tamen vitam suam, vel per mendacium, vel per detractionem tueri; quia isthac media sunt ab intrinseco mala; & satius est, ut illegitimè accusatus, vitam temporalem potius quam spiritualem amittat. Præstat enim vitam caducam finire, quam mendacio, calumnia, ac detractione eamdem conservare.

C O N S E C T A R I U M III. Qui & coram Deo & coram hominibus reus est criminis, cuius habetur semiplena probatio, quodque juridicè probari potest, non potest, nec contra accusatorem, nec contra testes, nec contra judicem, aliquid moliri; sed debet processui judicisli humilitè acquiescere,

SECTIO III.

De iis, quæ licet fieri possunt ab eo, qui accusatur.

PROPOSITIO unica. Quicumque accusatur, potest juxta juris formas se defendere, modò malas artes non adhibeat.

Probatur Ratione. Vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ: atqui ille, qui servat legitimas juris formas, descendit se juxta moderameo inculpatæ tutelæ: Ergo quicumque accusatur, potest se juxta juris formas defendere.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Qui iniustè accusatur, potest ad redimendam vexationem iniquum accusatorem rejicere, falsos testes repellere, & ab illegitimo judice ad legitimum appellare: quia quilibet habet jus ad defendendum se.

Sic Paulus iniquè accusatus, cæsarem appellavit. Aët. v. II. appellatio autem 1°. devolvit causam à judice inferiore ad superiorem. 2°. Suspendit sententiam inferioris: in jure tamen Canonicō, ubi agitur de correctione delinquentis, vel de modo servando in cultu Divino, appellatio non suspendit sententiam, ut habeatur Cap. *Ad nosstram de appellationibus*, & hæc appellatio debet fieri gradatim à superiore locali ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à

Generali ad Ordinis Protectorem , vel ad Sacram Congregationem regularium , nunquam verò ad Tribunal sacerdotale , ut expressè definierunt summi Pontifices.

C O N S E C . H. Qui occultè reus est , quamdiù non convincitur , modò pravas artes non adhibeat , nec pervertat ordinem juris , potest & accusatoris instantias cludere , & testium propositiones infirmare , & legitimā judicis Sententiam impedire ; quià jus habet ad hæc omnia. Etsi enim reus sit coram Deo , non est tamen reus coram hominibus ; & quamvis accusator , testis , judex , ex hac defensione incurvant quandam infamiae notam , injustique habeantur apud homines , id debent sibi metiis imputare , quod imprudenter in jus vocaverint eum , cuius crimen juridicè probari non potest.

C O N S E C T A R I U M III. Qui reus est , & coram Deo , & coram hominibus , si contra eum procedatur prætermisso juris ordine , potest prudenter contra accusatorem , contra testes , contra judicem uti eâ juris inobligavitia ; quià jus habet exigendi , ut contra ipsum procedatur secundum ordinem juris.

S E C T I O IV.

De iis , quæ observanda sunt ab eo , qui interrogatur à judice.

P R O P O S I T I O I A. Quandò judex non procedit juxta ordinem juris , reusque rationabiliter dubitat judicem procedere secundum formam juris , tunc reus interrogatus

non tenetur respondere judici , nec tenetur ei veritatem aperte.

Probatur 1^o. Ex Divo Thomâ 2. 2. quæst. 69. art. 1^o. in corpore, ubi sic habetur : *Si iudex , aut exquirat , quod non potest secundum ordinem juris , non tenetur ei accusatus respondere , sed potest , vel per appellationem , vel aliter licet subterfugere , mendacium autem dicere non licet.*

2^o. Ratione. Judex est quasi lex animata : atqui lex non ligat , nisi legitimè intimata , ità nec iudex præcipiens ligat , nisi legitimè procedat : Ergo accusatus non tenetur ei obediere , cum procedir extra ordinem juris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Totiès accusatus potest non respondere , quotiès interrogatur à iudice illegitimo : quia iudex illegitimus non habet autoritatem interrogandi.

Sic Clericus interrogatus à iudice sacerdotali non tenetur ei respondere , nisi in criminibus privilegiatis.

Sic Laicus non tenetur respondere iudici Ecclesiastico ; nisi in causis spiritualibus.

CONSECT. II. Totiès accusatus potest non respondere , quotiès interrogatur à iudice quidem legitimo , sed circa ea , quæ sunt omnino occulta , quorum nulla est infamia , vel semiplena probatio ; quia iudex , ut potest persona publica , non haber jus interrogandi nisi circa ea , quæ potest scientia publica cognoscere.

Sic scimus criminis omnino occulti , non te-

netur illud judici interroganti manifestare.

Sic reus criminis, cuius habetur semiplena probatio, si complies illius sint omnino occulti, tenetur quidem crimen semiplenè probatum confiteri, minimè vero socios omnino occultos.

Sic reus criminis, cuius habetur semiplena probatio, non tenetur manifestare judici ea, quæ ipsi per secretum naturale commissa sunt, nisi secretum illud esset, vel in præjudicium reipublicæ, vel in præjudicium innocentis.

C O N S E C T. III. Totiès accusatus etiam coram legitimo judice criminis etiam illius, cuius habetur semiplena probatio, potest non respondere, quotiès judex fraudulenter interrogat, & malis artibus uititur, ut reum cavarillationibus implicet; quia tunc judex non procedit secundum formam juris. Judex enim est vindex publicus: Ergo potest tantum procedere mediis à jure statutis.

Sic si judex minis, tormentis, vi, fraude, aut falsa promissione impunitatis, aliove medio contra ordinem juris secretum aliquod delictum extorqueat, tenetur cessare; nec potest ulterius procedere, nec reum punire: ex his enim, quæ inordinate acta sunt, non potest ordinabiliter agi. Ut habetur Cap. *Qualiter & quando. De actionibus.*

Propositio II. Quando judex legitimus, legitimè procedit, ac juridicè reum interrogat, idque reus certò cognoscit, & in his circumstantiis, in quibus habetur diffamatio, & semipleua probatio illius criminis; tunc accusatus tenetur sub peccato mortali confiteri veritatem, etiam si ob eam Confes-

sonem sit pœna mortis plectendus, neque potest eam negare, etiam si ex hac negatione impunitatem consequeretur.

Probatur. Ex D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1. in corp. cuius hæc sunt verba: *Ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit: & idem si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.*

2°. Ratione. Reus diffamatus & semiplenè convictus, non habet jus defendendi se se, sed in pœnam criminis, quod non est omnino occultum, tenetur simplici & nuda criminis sui confessione dare gloriam Deo, uti fecit Acham, ut habetur Josue 7.

Deinde Reus semiplenè convictus in his est circumstantiis, in quibus notam veritatem 1°. negare non potest sine mendacio 2°. reticere non potest sine inobedientia erga judicem legitimum superiorum 3°. defendere se se non potest sine injusta impunitate, 4°. sine indirecta erga accusatorem, & judicem calumnia: Ergo satius est Reum semiplene convictum justam mortem subire, quam vitam temporalem tot sceleribus conservare.

Consecaria hujus Doctrinæ, in quibus determinatur, quomodo Confessarius gerere se debeat erga reum, qui juridicè interrogatus est.

CONSECTARIUM I. Antequam reus sifstat se judici, Confessarius debet diligenter inquirete, tum à Reo, tum ab ejus advocate, aut procuratore, an sit aliquis defectus in

processu judiciali ; tunc enim reus non tenetur respondere , cum contra eum procedatur prætermisso ordine juris. Qued si Confessarius advertat , reum servato ordine juris interrogandum esse , debet eum hortari , ut veritatem coram judice fateatur & ostendere quod si secus fecerit , eum grave crimen commissurum , eumque peccaturum , 1°. contra justitiam ; quia non obedit judici , cui ex debito justitiae tenetur obedire , 2. contra Religionem ; quia perjurium committit negando veritatem , quam tamen juravit se dicturum , 3°. contra bonam fidem ; quia negando veritatem in causa est , cur accusator , testes , & judex calumniatores habeantur , quasi falsò imponentes crimen , cuius re vera accusatus conscientis est.

C O N S E C T A R I U M II. Si reus legitimè accusatus , post eam admonitionem dicat se nolle veritatem judici confiteri , dicatque se juraturum æquivocè , & proponat se constantè negaturum ea omnia , quibus crimen , cuius reus est , judici posset innotescere , tunc neganda est illi absolutio , cum velit in statu peccati perseverare , & expectandum , donec in eum sententia vel absolutionis , vel condemnationis prolata fuerit.

C O N S E C T A R I U M III. Reus post Sententiam contra ipsum latam , non est à Confessario deserendus , et si veritatem negaverit , sed ad pœnitentiam est excitandus.

Si reus post negatam illicite veritatem à pœna liberatus fuerit , tunc Confessarius reum ad sinceram pœnitentiam debet excitare , impositâ salutari pœnitentiâ , injunctaque obli-

gatione restituendi damna , quæ parti intulic
illicitè negando veritatem , poterit eum
absolvere . modo in eo videat signa pœnitentia : non tamen cogi potest , ut iterum judicem
adeat , ut se ipsum prodat , cum cessaverit jus
interrogandi , causâ jam decisâ , reoque
liberato .

Si Reus post negatam illicitè veritatem
iterum resumendus . itetumque interrogandus
sit , tunc hortandus est , ut veritatem fatea-
tur ; & si persistat in proposito negandi cri-
men , cuius reus est , & cuius est semiplena
probatio , non est absolvendus .

Si verò Reus post negatam illicitè verita-
tem , morte condemnatus sit , hortandus
est , ut veritatem publicè fateatur , tum ut
gloriam Deo reddat , tum ut testimonium ve-
ritati præbeat , tum ut accusatorem , testes ,
& judicem ab invidia populari vindicet .

S E C T I O V.

*De his , quæ præstanda sunt ab eo , qui juris-
dicè condemnatus est .*

PROPOSITIO I. Qui justè condem-
natus est mortis , mutilationis , &c. te-
netur huic supplicio se se subjicere , nulla-
tenus licitum est ei contra judicem , & Minis-
tros judicis resistere .

Probatur . 1º. Scriptura ad Rom . 13. v.
2. Qui resistit potestati , Dei ordinationi resistit .
Qui autem resistunt , ipsi sibi damnationem ac-
quirunt : sed condemnatus , se defendendo ,
potestati resistit , quantum ad hoc , in quo

216 MORALIS CHRISTIANA
est divinitus instituta ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum: ergo justè condemnatus, peccat se defendendo.

2^a. Ex D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 4. in corp.
Dicendum, quod aliquis damnatur ad mortem duplicitè, uno modo justè: & sic non licet condemnato se defendere; licitum enim est iudici eum resistentem impugnare. Unde relinquitur, quod ex parte ejus sit bellum injustum, unde indubitanter peccat.

3^a. Ratione. Sicut iudex habet autoritatem, ut civiliter litigantibus præcipiat, quæcumque sunt necessaria ad terminandam litem: ita habet autoritatem, ut præcipiat reis quæcumque sunt necessaria, ut terminetur ius criminalis, & ut rei debitam, & parti læsæ, & Reipublicæ exhibeant satisfactiōnem: ergo rei tenentur iudici obedire, & poenam impositam subire.

consectaria bujus Doctrine.

CONSECTARIUM I. justè condemnatus nihil potest interius moliri, quod positivam defensionem, & resistentiam importet, v.g. non potest optare mortem judicis, vel Ministrorum judicis; quamvis ea morte supplicio sibi destinato liberandus esset, tum quia optare mortem alterius est peccatum, tum quia hæc desideria etiæ inutilia arguunt animum paratum ad defendendum se positivè, quod in casu præsenti non licet.

CONSECTARIUM II. Condemnatus justè nihil potest exteriū moliri, quod defensionem positivam importet; quia defensio positiva

positiva est in tali casu prohibita, & bellum injustum, ut dicit D. Thomas, Sic reus justè incarceratus non potest vim inferre custodibus, non potest eos aut alligare, aut vulnerare, aut occidere, ut se à carcere expediat; quia haec singula important defensionem, & resistentiam positivam, quæ in isto casu est illicita.

P R O P O S I T I O II. Accusatus damnatus injustè potest se positivè cum moderamine inculpatæ tutelæ contra judicem & Ministros ejus defendere.

Prabatur. 1º. Ex D. Thom. Ibid. Alio modo, inquit, condemnatur aliquis injustè, & tale judicium simile est violentiae latronum; secundum illud Ezechielis 22. v. 27. Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem; & ideo sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis principibus, nisi forse ob scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.

2º. Ratione. Cuilibet licitum est defendere se contra injustum aggressorem, modo servetur moderamen inculpatæ tutelæ: ergo in hoc casu licitum est innocentij injuste damnato defendere se, modo caveatur scandalum, & gravis turbatio, ut loquitur D. Thomas.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Quando inne-
cens damnatur, vel mortis, vel mutilationis,
vix aperte injustis, potest quibuscumque me-

diis, modo non sint ab intrinseco mala; se se ab injusta illa pœna liberare; quia justa tunc est defensio, v. g. potest ad judicem superiorem appellare, potest amicos, aut alios, qui cum a tali pœna liberarent, convocare.

C O N S E C T A R I U M II. Quando sententia est materialiter injusta, lata tamen secundum allegata & probata, et si in conscientia non obliget, non potest accusatus judici, ejusque Ministris positivè resistere; quia licet sit coram Deo innocens, non est tamen innocens coram hominibus, judexque jus habet exequendi sententiam secundum formam juris prolatam.

P R O P O S I T I O III. Homo, quantumvis reus, & justè condemnatus, non tenetur sibi ipso pœnam, ad quam damnatus est, inferre, sed potest licite eam passivè se habendo eludere.

Probatut 1°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 59. a. 4. ad 2. Dicendum, quod nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed mortem patiatur, & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur: quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem.

2°. Ratione. Ex dictis, ubi de lege pœnali, nemo tenetur pœnam corporalem infic tam à judice sibi ipso inferre; hoc enim lex non jubet, cum Ministros, catnifices scilicet, ad hunc finem destinatos habeant, ab hoc etiam ratio ipsa removet, quæ suggestit idem non debere esse agens & patiens: ergo nemo etiam damnatus à judice tenetur mortem, aut mutulationem sibi inferre. Tenetur tamen,

DE STATU LAICALI. 279
inquit D. Thomas, non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est eum pati. Ibid.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Nullus homo, quantumvis reus & justè condemnatus, potest sibi mortem, aut mutilationem inferre; quia id nulla lex jubet, & natura ipsa refugit. sic, ut ait D. Thomas, si aliquis sit condemnatus, ut fame pereat, non peccat, si cibum sibi occuliè Ministratum sumat; quia non sumere esset se ipsum occidere. Ibidem. Sic paritate nemo, quantumvis Reus, tenetur se ipsum in carcerem conjicere.

CONSECTARIUM II. Quilibet, quantumvis Reus, & justè condemnatus, potest sine resistantia contra justitiam se à morte, vel mutilatione liberare; quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ & membrorum conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam. Sic, ut ait D. Thomas, potest fugere ab eo loco, unde duceretur ad mortem. Sic paritate reus potest fugere, ne capiatur, captus potest è carcere, & vinclis, quibus detinetur, se liberare.

§. IV.

De probationibus, quæ habentur, vel per testes
vel per instrumenta.

Egimus hactenus de actore, jūdice, & ieo, jam de probationibus agendum, qui-

bus actor probat rem , quam intendit. Probare autem est rei dubiae in judicio fidem facere. Probatio vero alia est animata , quæ fit per testes , alia inanimata , quæ fit per instrumenta , seu scripturas : ideoque hic primò agemus de testibus , postea vero de personis publicis , seu notariis , à quibus instrumenta publica , aut conficiuntur , aut custodiuntur.

SECTIO I.

De Testibus:

TESTIS est ille , qui de aliquo facto controverso testimonium dicit , factum illud , quod controvertitur , quodque aliquo sensu percipi possit , vel negans , vel asserens.

De his , qui possunt , vel non possunt esse testes

PROPOSITO I. Hi solum jure naturæ possunt esse testes , qui veritati dignoscendæ inservire possunt.

Probatur 1º. Scripturâ num. 35. v. 30. *Homicida sub testibus punietur ; ad unius testimonium nullus condemnabitur.* Quibus verbis Deus præcipit , ut nullus accusatus , unius tantum testimonio condemnetur ; sed plures , & quidem graves testes audiantur , qui rei dubiae & controversæ fidem faciant ; ergo illi solum possunt esse testes , qui manifestandæ veritati possunt inservire.

2º. Ex jure civili L. 3. De testibus , ubi sic habetur : *Testium fides diligenter examinari.*

da est . . . Nam si careat suspicione testimonium, vel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit, vel propter causam, quod neque lucri, neque gratiae, neque inimicitiae causâ sit, admiteendus est: ergo illi solum testes esse possunt jure naturæ, qui veritati inveniendæ inservire possunt.

3º. Ratione. Testes eo solum sine adhibentur, ut veritas obscura clare pateat, & ut res controversa dilucidetur: ergo illi tantum jure naturæ audiendi sunt, ut testes, qui rem dubiam certam possunt efficere, & factum incertum reddere manifestum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C. I. jure naturæ testes esse non possunt, qui carent usu rationis, quales sunt furiosi, & infantes longè à pubertate distantes; attestatio enim est actus, qui plenum usum rationis exigit.

Sic juxta jus civile, sicut furiosus testamentum facere nequit, ita nec testimonium proferre L. 9. Cap. quis testamenta facere possunt:

Sic juxta jus Canonicum. Can. Testes. 4. q. 2. pueri ad testimonium infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittuntur; juxta ramen edicta Ludovici 14. testimonium eorum, qui accedunt ad pubertatem, accipitur, ut juxta judicis prudentiam ejusdem testimonii ratio habeatur.

C O N S E C. II. Jure naturali regulariter omnes in causis tam criminalibus, quam civilibus, testes esse possunt, modo.

212 MORALIS CHRISTIANA
plenum usum rationis habeant. Ut habetur
L. I. ff. de testibus.

PROPOSITIO II. Jure positivo hi omnes à testimonio ferendo rejiciuntur, qui rationabilitè præsumi possunt agere alio motivo, quam amore veritatis.

Probatur. Ex glossa super caput placuit de testibus, ubi sic habetur: *Talis debet esse testis, cui nulla possit opponi exceptio*; ergo qui præsumitur agere alio motivo, quam amore veritatis, potest à testimonio ferendo rejici.

2º. Ratione. Testes eo solo fine adhibentur, ut veritas appareat: ergo hi omnes à testimonio ferendo rejici possunt, quibus aliqua potest opponi exceptio. Exceptiones autem omnes sequentibus versibus comprehenduntur.

*Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus illa requires.*

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSEC. I. Explicatur hæc vox *conditio*. A ferendo testimonio rejiciuntur, qui vel ex conditione status, vel ex amicitia, vel ex parentela, præsumuntur nimis favere ei, pro quo, vel contra quem exigitur testimonium: quia hi non censentur agere solo amore veritatis.

Sic prohibentur testimonium dicere, domesticus, familiaris, cognatus, affinis, vel cui imperari potest, ut testis fiat pro eo, cui talis est, item amicus pro amico, socius pro socio, sive ejusdem criminis, sive alicujus

contractus. Ita ff. Toto titulo de testibus ; atamen in consanguinitate probanda , & in matrimonio contrahendo , vel disjungendo , testes esse possunt parentes. Cap. *videtur*. Qui matrimonium accusare possunt.

C O N S E C . II. In quo explicatur hæc vox *sexus*. Mulier in testamento testis esse non potest , ut diximus , ubi de testamento ordinando.

C O N S E C T A R I U M III. In quo explicatur hæc vox *etas*. Minor viginti annis nequit esse testis in crimen probando. L. 20. ff. de *testibus* ; impuberis tamen juxta proxim Gallicanæ jurisprudentiæ audiri possunt , & juxta prudentiam judicium pensatur eorum testimonium.

C O N S E C T A R I U M IV. In quo explicatur hæc vox *discretio*.

Ex discreione legum , qui hic subjiciuntur prohibentur contra certas personas testimonium dicere v. g. Libertus contra patronum. L. 12. Cap. *De testibus*. inimicus contra inimicum. L. 3. ff. *Ibid*. Hæreticus & Juðæus contra Christianum. l.21. Cap. *De hæreticis*. Uxor contra maritum , & maritus contra uxorem. Ita doctores communiter. Laicus contra Clericum. Cap. *de cætero*. Extra de testibus. Tutor contra pupillum , & advocatus contra clientem , durante isto officio. Ita communiter Doctores.

Ex discreione legum , qui hic subjiciuntur , prohibentur *pro* certis personis testimonium dicere , pro Patre-Familias domesticus. L. 24. ff. *De testibus* , pro pupillo Tutor , pro socio socius. Ita communiter Doctores,

Judices, assessores, Arbitri in causis, de quibus cognoscunt. L. 6. Cap. De postulando, qui de Universitate & corpore aliquo est, in causis universitatis istius & corporis. Et nemo in propria causa L. 20. s. Ibid.

C O N S E C . V. Explicatur illa vox *fama*. A testimonio dicendo arcentur infames post latam sententiam; tales sunt i. Publico iudicio damnati, nec dum restituti. L. 3. de testibus ibid. Publici criminis rei. L. 20. Ibid. 131. Qui in vinculis & custodia detinentur. IV. Qui ad bestias, ut pugnarent, se locatunt. V. Qui convicti sunt accepisse pecuniam ad testimonium dicendum, vel non dicendum. L. 3. s. Ibid. VI. Damnati ob earmen famosum. L. 21. s. Ibid. VII. Mulier, quæ corpore quæstum palam facit, vel fecit. Demum omnes infamia notati. L. 5. s. Ibid.

C O N S E C T A R I U M VI. In quo explicatur illa vox *fortuna*. Personæ viles & infimæ fortis juxta prudentiam judicis excluduntur à testimonio dicendo; quia præsumuntur facile posse corrumpi.

C O N S E C T A R I U M VII. In quo explicatur hæc vox *fides*. Testimonium suscipi debet à judge, non leviter, sed prudenti examine. I. Admittuntur testes, non qui se ultrò offerant, sed qui vocentur, & veluti inviti deponant; qui enim ultrò se offertunt, habentur, ut dicunt, subornati & suspecti. Can. 4. Illi 5. q. 5. II. à testibus juramentum præexigitur, & præmonentur, ut veritatem dicant. Cap. Tuis questionibus De testibus. III. Juramento præfito quem-

Cumque testem judex , aut is , cui examen commissum est , examinat clam partibus , separatis , adhibito Notario , qui dicta configneret , tum super articulis ab adversario exhibitis , cap. *Venerabili de testibus* , tum super interrogatoriis , seu quæstionibus ad inventandam veritatem necessariis , v. g. circa locum , circa tempus , circa alias circumstantias , quæ factum , de quo inquiritur , comitatæ sunt ; inquiringo , an factum illud viderit , vel audierit . IV. Depositione factâ judex responsa testis eidem testi leget , tum ut ejus constantia appareat , tum ut addat , vel minuat , prout testis secundum Deum opportunius judicaverit .

CONSECTARIUM VIII. In quo explicatur hæc vox *in testibus* . Regulariter loquendo unius testimonium nullum , sed ad minus duo testes requiruntur ; quia juxta scripturam , ad unius testimonium nullus condemnabitur . Num . 25. v . 3. & Deut . 19. *In ore duorum , vel trium testimoniis stabit omne verbum.*

Quæ sit obligatio ferendi testimonium.

PROPOSITIO unica . Quotiesquis legitimè interrogatur , toties tenetur testimonium reddere veritati ; si vero recuset , peccat , & tenetur damna reparare , quæ ex ejus silentio oriuntur .

Probatur 1º. Scripturâ . Deut . 19. v . 15. ubi sic habetur : *Non stabit testis unus contra aliquem quidquid illud peccati , & facinoris fuerit , sed in ore duorum aut trium testimoniis stabit omne*

verbum: ergo cum judex nihil valeat determinare, nisi post juridicam duorum, vel trium testium confessionem, consequens est, quod ipsi testes judicii legitimè interroganti teneantur respondere.

2º. Ex Aug. apud D. Thom. 2. 2. q. 70. a.

1. *Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, uterque reus est. Ille*; quia prodefesse non vult. *Hic*; quia nocere desiderat.

3º. Ex D. Thom. Ibid. Si requiritur testimonium alicujus subditis autoritate superioris, cui in his, quæ ad justitiam pertinent, obediere teneatur: non est dubium, quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus secundum ordinem juris testimonium ab eo exigitur, puta, in manifestis, & in his, de quibus infamia praecessit.

4º. Quilibet tenetur obediere legitimo superiori legitima legitimè imperante, ut patet ex dictis, ubi de lege: atqui judex in nostro casu est legitimus superior, & testi legitima legitimè imperat: quia ut supponimus, non interrogat nisi secundum formam juris: ergo testis debet obediere: ergo testimonium proferre; tenetur vero damna reparare, si recusat; quia peccat contra justitiam, ut diximus, ubi de restitutione.

Consectaria hujus Doctrine.

CONSECTORIUM I. Regulariter omnes tam Clerici quam Laici tam sacerdtales quam regulares cogi possunt ad testimonium ferendum, idque tam in civilibus, quam criminalibus causis, nisi vel excusentur, vel pro-

hibeantur: si enim cogi non possent, vel innocentes injustè accusati defectu testium innocentiam ejus manifestantium damnarentur, vel rei justè accusati defectu testium crimen commissum non manifestantium injustè absolverentur: & sic qui testimonium ferre recusarent, rei essent, vel injustæ condonationis contra innocentem, vel iniœquæ absoluttonis erga reum. Quia juxta glossam *consentire est, tacere, cum possis arguere.*

C O N S E C T. II. Illi omnes ad ferendum testimonium cogi nequeunt, qui lege vel naturali, vel positiva tum divina, tum Ecclesiastica, tum civili à ferendo testimonio excusantur; quia tunc non servaretur ordo juris.

Sic juxta D. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. De his, quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet confessarius testimonium ferre, quia hujusmodi non scit, ut homo, sed tamquam Dei minister, & maius est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Solvere quippe sigillum confessionis, vetat lex naturalis, lex positiva, tum divina, tum Ecclesiastica, tum civilis.

Sic juxta eundem D. Thom. Ibid. ea, quæ sub secreto naturali sunt commissa, manifestari non debent; quia servari fidem est de jure naturali, nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali; nisi secretum vergeret vel in periculum boni publici, vel in damnum innocentis, quo casu tenetur homo, vel testimonium ferre, vel denunciare: quia jus naturale jubet, ut bonum publicum prius conservetur, quam particulare, & quod pu-

natur reus potius, quam innocens.

Sic juxta jus civile à ferendo testimonio excusantur cognati in linea recta & collaterales, & sic ascendentes, v. g. parentes & liberi, nec pro se, nec contra se invicem testimonium proferre possunt. *ff. L. 9.*

Sic collaterales v. g. fratres & sorores germani & germanæ usque ad gradum nec pro se nec contra se invicem testimonium proferre possunt.

Sic affines, qui invicem parentum & liberorum habent respectum, puta vitricus, & privignus, ficer, & gener, nec pro se, nec contra se testimonium proferre possunt.

C O N S E C. III. Non solum tenemur testimonium reddere veritati, quoties interroga-
muri juridice; sed etiam quoties ex silentio nostro, vel honor Dei, vel utilitas proximi
contrariè substraheretur, ut docet D. Thomas
loquens de professione fidei: id est, quoties
ex defectu nostri testimonii, aut Deus positi^ve
inhonoraretur, aut proximus noster innocens
injustie oppimeretur; quia in his cir-
cumstantiis silentium nostrum causa esset cul-
pabilis, vel blasphemiarum, quibus Deus
impeteretur, vel injustæ calumniæ, quâ
proximus noster innocens reus apud homines
haberetur.

Sic Christum injustè accusatum, calum-
niis oppressum, & blasphemiarum inhonoretum,
ultrò & spontè innocentem declararunt Ju-
das ipse proditor *Math. 27. v. 4.* Uxor Pilati
Math. 27. v. 19. Pilatus ipse *Ibid v. 24.* Cen-
turius & alii. *Ibid. v. 5. 4.* Bonus latro. *Luc
23. v. 15.*

Sic

Sic Davidem à Nabal latrociniis accusatum excusant servi Nabal. 1. Reg. 25. v. 15. Homines isti, inquiunt, boni satis fuerunt nobis, & non molesti... pro muro erant nobis tam in nocte, quam in die. Sic David ultrò & sponte Saulem & Jonatham publicè excusat, & laudat, utriusque fortitudini testimonium reddens: quomodo ceciderunt, inquit, fortis in prælio. 2. Reg. Cap. 1. v. 25. Sed innocentem Susannam injustè damnatam divinitus suscitatus tuitus est Daniel. Cum enim Susanna raparetur ad supplicium, Daniel exclamavit voce magna: mundus ego sum à sanguine hujus, & rem ulterius urgens, ait: revertimini ad judicium; quia falsum testimonium locutus fuut adversus eam. Eos autem accusatores falsi testimonii convictos populus interfecit. Daniel. Cap. 13.

Quæ culpa committatur per falsum testimonium.

PROPOSITIO I^a. Quicumque falsum testimonium profert, peccat mortaliter.

Probatur 1^o. Scripturâ. Si stererit testis mendax... non miserberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exigas: Ergo cum falsum testimonium tam rigidè puniatur, signum est esse peccatum mortale.

2^o. Ex utroque jure. Falsi testes juxta jus Canonicum excommunicantur, juxta verò jus civile puniuntur pœna capititis: Ergo est peccatum mortale; quia tam gravis pœna non debetur nisi peccato mortali.

3^o. Ratione. Falsum testimonium est 1^o. Per Tem. VI.

jurium; quia testes non respondent judici, nisi ab eis elicito juramento. 2°. Est peccatum contra justitiam: atqui perjurium est peccatum mortale ex suâ naturâ, sicut & peccatum contra justitiam: Ergo falsum testimonium est peccatum mortale. Deinde falsus testis injuriam facit Deo, judici, & innocentî; Deo, cujus præsentiam pejerando contemnit; judici, cujus bonam fidem mentiendo decipit; innocentî, quem falso testimonio lædit, vel in vita, vel in honore, vel in bonis fortunæ: Ergo falsum testimonium peccatum est semper mortale, triplicem continens deformitatem, primam contra Deum, secundam contra judicem, tertiam verò contrâ innocentem.

Falsus autem testis censendus est, non solum ille, qui rem, quam scit certò falsam, pro vera afferit, sed etiam ille, qui rem dubiam pro certa afferit. Non debet homo, inquit D. Thom. pro certo afferere, quasi sciens id, de quo certus non est, sed dubium debet pro dubio proferre, & id de quo certus est pro certo afferere 2. 2. q. 70. a. 4. ad jum.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Quando falsum testimonium non fuit causa efficax damni contra proximum; vel quia judex non credidit falso testi; vel quia judex jam lite penè completa ex illo falso testimonio nihil omnino motus fuerit. Tunc fasus testis ad nullam restitutionem tenetur, sed maximè ad pœnitendum coram Deo obligatur; quia, ut diximus, ubi

restitutione , qui non est causa efficax damni , ad restitutionem obligari non debet.

C O N S E C U T I V A . II. Quando falsum testimonium causa fuit efficax damni contra proximum , qui falso testatus est , tenetur ad impeditonem , vel reparationem omnium dannorum , quæ ex tali falso testimonio subsequuntur.

Sic si jam damnum factum sit , tenetur famam reparare , si famam abstulerit ; bona temporalia compensare , si ea læserit ; damage realia ex injusta morte sequentia reparare : quia juxta Aug. non remittitur peccatum , nisi restituatur ablatum.

Sic si damnum jam factum non sit , sed futurum , falsum testatus , tenetur cum pari sui ipsius periculo damage proximo eventutum reparare ; quia in damage æquali melior est conditio innocentis , v. g. diffamationem proximi per sui diffamationem , occisionem injustam proximi innocentis etiam per suam sui ipsius mortem tenetur impedire : bonorum vero temporalium jacturam per propriam bonorum temporalium perditionem tenetur impedire.

SECTIO II.

De Notario.

NO TARIUS est ille , qui contrahentium voluntates tamquam testis publicus scribit , quique instrumenta publica tamquam depositarius publicus custodit.

Propositio. Duo præcipue requiruntur in Notario , 1º. Scientia , quæ observet solem.

nes contractuum formulas. 2°. Fidelitas , quā nihil contra æquitatem , & veritatem sinat in suis scriptis irrepere.

Probatur. Notarius est publicus voluntatum contrahentium depositarius : Ergo eā peritia debet esse instructus , ut observet solemnēs contractuum formulas ; aliās enim contractus essent invalidi , & insuper ejus debet esse fidelitatis , ut nihil contra veritatem , & æquitatem admittat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat Notarius defectu scientiæ , si solemnitates in contractibus necessarias omittat ; manifestum est autem , inquit D. Thom. quod quicunque negligit habere , vel facere id , quod tenetur habere , vel facere , peccat peccato omissionis. Ideo edictis regiis cavetur , ut Notarii non admittantur , nisi & capaces , & idonei reperti.

C O N S E C T . I I . Peccat Notarius defectu fidelitatis & veracitatis , quoties in instrumento publico mentitur , vel circa diem , vel circa res , quæ sunt materia contractū , v. g. Si instrumentum , quod tali die , mense , & anno fit , die , mense , anno prioribus , vel posterioribus factum scribat , si scribat contrahentes esse præsentes , cum præsentes non sint , si attestetur numeratam esse pecuniam , cum revera numerata non fuerit. Quod gravissimum peccatum est , primò quia est mendacium , quod juxta scripturam in omni casu est illicitum juxta illud : *Nolite velle loqui omne mendacium.* 2°. Quia est perjurium ,

cum jurent Notarii se nihil falsi in suis instrumentis publicis scripturos. 3^o. Quia mendacium illud est semper Notariis periculosem, cum exponant sese periculo & diffamacionis, & poenæ capitalis, si forte ea falsitas coram judice probari possit.

Sic peccant pariter contra fidelitatem & veritatem, si in depositione testium aliquid addant, vel detrahant non levis momenti; si item in voluntate contrahentium aliquid addant, vel minuant; si amissio instrumento publico, v. g. testamento, vel contractu, aliud simile configant; quia in singulis illis casibus agunt contra veritatem, quam se fideliter observaruros jurarunt, nec excusantur, per hoc, quod si perduto vero instrumento non configant simile, magnum damnum patientur; quia, ut ait D. Thomas non licet aliqua illicita ordinatione uti adimpediendum documentum... Sicut non licet furari ad dannam Eleemosinam.

Sic peccat pariter Notarius contra veritatem, si scribat Testamentum hominis usu rationis destituti; si testes falsos admittat; si ad privandum vel Regem, vel dinastas solutione censum & laudemio, naturam contractuum immuter, & scribat partes inivisse permutationem, cum veram venditionem inierunt. Item si ex animo utatur verbis æquivocis, ut partes contrahentes decipiatur.

C O N S E C T A R I U M III. Peccat Notarius defectu justitiae & æquitatis, quoties aut ipse justitiam violat, aut partibus contrahentibus justitiam violentibus connivet: ipse autem Notarius justitiam violat, si exigat ali-

quid ultà taxatum pretium , si nolit ostendere instrumenta publica iis , quibus sunt necessaria , v. g. Testamenta hæredibus , legata legatariis , aut si pro exhibendis hujusmodi instrumentis excedens pretium extorqueat . Connivet verò partibus violentibus justitiam commutativam , cum contractus aperte usurarios , aut ex præsumptione usurarios , suscipit.

SECTIO III.

De Advocato & Procuratore.

ADVOCATUS & Procurator sunt hi , qui causas litigantium defendendas suscipiunt . Quatuor requiruntur in Advocato & Procuratore , primo quidem legum notitia , 2°. Fidelitas erga clientem . 3°. Causæ suscep- tæ æquitas . 4°. Moderatum pretium , quæ omnia sequentibus propositionibus expende- mus .

P R O P O S I T I O I. Advocatus & procurator debent habere scientiam convenientem , v. g. Advocatus debet habere peritiam legum ; Procurator verò notitiam formalitatum juris .

Probatur 1°. Scriptura . Judicibus dicitur : *Eradimini , qui judicatis terram . Psalm 2. v. 10.* Ergo & idem dici potest Advocatis ; decet enim Advocatos sicut & judices sapientes esse , & in lege doctissimos ; ne dicere valeant , tamquam legem ignorantes , bonum malum , & malum bonum .

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 71. a. 2. In Corp. *Est enim , inquit , necessaria Advocato , & iu-*

terior peritia, qua possit convenienter iustitiam assumptæ causæ ostendere, & iuerum loquela cum auditu, ut possit pronuntiare, & audire, quod ei dicitur: Ergo Procurator & Advocatus debent habere peritiam competentem.

3º. Ratione D. Thom. *Quicumque negligit habere, & facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis,* inquit D. Thom. I. 2. q. 76. a. 1. in Corp. Ergo Procurator & Advocatus, qui non habent scientiam competentem, peccant peccato omissionis: & ex vi talis omissionis tenentur ad restitutionem, si damnum aliquod clientibus causaverint.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccat, qui Officium Advocati exercet, si non sit graduatus in altero jurium; quia ita jubet edictum Francisci I. an. 1535. Cap. 4. a. 1. Item peccant Procuratores, qui Officium Procuratoris exercent, antequam sufficienter ad hoc eruditii inventi fuerint. Ita jubet Edict. Ludovic. 12. an. 1507. a. 118.

CONSECT. II. Peccant Advocatus & Procurator, si licet aliunde sufficienter peri-
ti, tamen vel per negligentiam, vel propter negotiorum multitudinem, non sufficienter causas clientum suorum non examinent, & tenentur ad restitutionem damni, quod cau-
sant: qui enim occasionem damni dat, dam-
num dedisse videtur.

PROPOSITIO II. Procurator & Advo-
catus inviolabilem debent clientibus fidelita-
tem,

Probatur 1º. Scripturā. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Proverb. II. v. 13. Ergo cum Advocatus & Procurator sint clientum suorum amici, eis inviolabilem debent fidelitatem.

2º. Ex div. Thom. 2. 2. q. 72. a. 3. ad 2. Dicendum, quod Advocatus, si in principio credit causam justam, & postea in processu appareat eam esse injustam, non debet etiam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet, &c. Ergo numquam licet Advocato vel Procuratori clientem suum fraude aliqua decipere, sed ei debet salvo jure conscientiæ inviolabilem fidelitatem exhibere.

3º Ratione, Procurator & Advocatus sunt erga clientes, quod amici erga amicos, medici erga ægrotos, imò quod parentes erga filios; quia clientes committunt sese Advocatis, sicuti amicus amico, ægrotus medico, & filius parenti: atqui inviolabilem debet fidelitatem amicus amico, medicus ægroto, & parens filio ergo eamdem debent fidelitatem Advocati & Procuratores suis clientibus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant graviter Advocati & Procuratores, qui duobus inter se litigantibus simul Consilium offerunt; ea enim agendi ratio est aperte contra eam fidelitatem, quam utrique litigantium debent; ideo illud expressè vetatur edicto Francisci. I. art. 33.

CONSECTARIUM II. Peccant graviter Advocati & Procuratores, qui clientum suorum secreta in præjudicium illorum alicui aperiunt; nullo enim pacto ea possunt prodere, quæ eis sub secreto commissa sunt, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. Quæ sub secreto alicui committuntur, nullo modo tenetur quis ea prodere, etiam ex præcepto superioris; quia servare fidem est de jure naturali; nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali.

PROPOSITIO III. Advocatus & Procurator non possunt nisi eas causas defendendas suscipere, quas justas bona fide arbitrantur.

Probatur 1^o. Scriptura ex 2. Paralipom. cap. 19. Ubi sic habetur: *Impio præbes auxilium, & idcirco iram Domini merearis;* sed Advocatus defendens causam injustam, impio præbet auxilium: ergo peccando iram Domini meretur.

2^o. Ex D. Them. 2. 2. q. 71. a. 3. in corp. ubi sic habetur: *Manifestum est autem, quod Advocatus & auxilium & consilium præstat ei, cuius causæ patrocinatur.* Unde si scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit.

3^o. *Qui cooperatur injustitiæ, peccat; quia digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus:* sed Advocatus & Procurator scienter defendendo causam injustam, cooperantur injustitiæ; ergo peccant.

consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Quando Procurator vel Advocatus aperte vident inustam esse eam causam , quæ eis offertur defendenda , debent incunctanter eam rejicere ; alioquin & peccant , & ad restitutionem tenentur , ut diximus ex D. Thom. & expressè docet Aug. Epist. 155. ad Macedonianum. *Verumamen* , inquit , si *justitia sincerius consulatur* , *justius dicitur Advocato* ; redde , quod accepisti , quando contra veritatem stetisti , iniquitati adfisi , judicem fefelleristi ; *justam causam oppresisti* , de falsitate vicisti .

C O N S E C T . II. Quando Procurator vel Advocatus initio litis putant causam sibi oblatam esse justam , possunt eam defendantam suscipere , sed ubi agnoscunt eam esse aperte inustam , debent ab ea desistere , & clienti suadere , ut à litigando desistat , & cum parte sua litem componat. Ita expressè docet D. Thom. ibid. ad 2. *Si Advocatus* , inquit , in principio credidit causam justam esse ; & postea in processu appareat eam esse inustam , non debet eam prodere , ut scilicet aliam partem juvet , vel secreta suæ causæ alteri parti revelet : potest tamen & debet causam deserere , vel eum , cuius causam agit , ad cedendum inducere , sive ad componendum sine adversarii danno .

C O N S E C T A R I U M III. Quando Procurator & Advocatus vident aut in initio aut in progressu litis probabiliora rationum momenta flare pro adversa parte , quam pro suo cliente , statim ubi advertunt minorem il-

Iam probabilitatem debent illicè defensionem abjecere ejus causæ , quam minus justam arbitrantur, si securi fecerint, peccabunt, primò contra prudentiam , quæ jubet ut reliquo minus probabili , quod tutius & simul probabilius est eligamus. 2º. Contra bonam fidem quia abutuntur clientis credulitate , spondentes faustum exitum causæ minus probabilis contra probabiliorem 3º. Contra justitiam quia aut clientem exponunt expensis frustatoris, si lite suaceciderit, aut saltem adversario damnum paratur, si contra probabiliora rationum momenta ita jus adversariæ pannis obscurant, ut judex contra eum pronuntiet ; quia pro se habet firmiora rationum momenta.

CONSECTARIUM IV. Peccant Advocati & Procuratores qui ad ostendendam artis sue petitiam causas quascumque etiam desperatas suscipiunt. 1º. Quia ea generali dispositione justitiae simul & injustitiae indifferenter patrocinantur , cum tamen soli æquitati defendendæ debeant insistere. 2º. Contra instituti sui finem intricate, quæ debent extricare, obscurant, quæ debent explicare, demum æquitatem opprimunt, quam ex officio tueri debent. Nec laudandus Advocatus qui causas desperatas suscipit, sicut laudandus Medicus qui desperatam infirmitatem sanat ; nam ut optime ait D. Thomas , Medicus accipiens in cura desperatam infirmitatem nulli facit injuriam , Advocatus autem suscipiens causam injustam, injustè lœdit eum , contra quem injuste patrocinium præstat. . . & peccat quantum ad injustitiam voluntatis , qua abutitur arte ad malum.

PROPOSITIO IV. Advocatus & Procurator licetē possunt justum premium accipere & exigere.

Probatur 1°. Scripturā. Dignus est operarius mercede suā , inquit Christus , & nemo militat stipendiis suis, inquit Paulus : ergo & Procurator licetē possunt justum premium accipere & exigere.

2°. Ex Aug. *Advocatus licetē vendit justum patrocinium , & juris peritus justum Consilium.* Epis. 155. ad Macedon.

3°. Ratione. Quilibet potest licetē justum premium accipere ex illo labore , quem non debemus alteri : atqui nec Procurator , nec Advocatus tenetur ex justitia , aut Consilium , aut Patrocinium dare alteri : Ergo & Procurator & Advocatus possunt justum premium laboris sui accipere .

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant contra justitiam , & ad restitutionem tenentur Procuratores , & Advocati ; qui excedens premium contra præscriptum reipublicæ extorquent ; ideo dicit Aug. ibid. *Quod extorta ab Advocatis per immoderatam improbitatem , repeti solent ; data verò per tolerabilem consuetudinem , non solent.*

CONSECTARIUM II. Peccant contra charitatem Procuratores & Advocati , quando pauperibus in extrema aut urgenti necessitate constitutis non opitulantur. Ut docet D. Thom. 2. 2. q. 71. a. 4. ad 1. vide dicta de Eleemosina. In 2. tom.

MONITUM

MONITUM quando locutus sum de peccatis judicum, Procuratorum, Advocatorum, Notariorum, Tabellionum, & demum eorum omnium, qui forensibus causis occupantur, ex industria nihil dixi de specialibus statutis à Republica stabilitis, quæ se observaturos sub juramento promittunt judices, Advocati, Procuratores, Notarii, & Tabelliones, sed prudens Confessarius cautè querat à suo pœnitente, quis sit tenor juramenti, quo adstrictus est, cum Officium suum suscepit, quodque singulis annis renovat, & ex formula & tenore juramenti discet, quænam sunt statuta, quæ sub pœna perjurii observare tenetur; & proinde varia peccata, quæ à forensibus viris committuntur, quæque aliâ viâ nequeunt Confessariis innotescere.

CAPUT III.

De munere docentium & discentium, seu quæ sint Officia Magistrorum docentium publicè & Scholasticorum publicas Academias frequentantium.

PRO E M I U M.

CAPUT istud in tres sectiones dividemus. In prima explicabimus, quæ sit necessitas Magistri publici, quæ ejus dotes, quod exempli possit sibi proponere, ut fideliter exequatur omnia & singula Officia, quæ debet, tum sibi, qui docet, tum discipulis, qui docentur, tum veritati quæ exponenda

est. In secunda explicabuntur præcipua disciplinarum publicas scholas frequentantium munia. In tertia indicabimus, quibus mediis liberales disciplinæ eum, quem merentur, splendorem consequi possent.

SECTIO PRIMA.

De munere docentium publicè.

ARTICULUS I.

*Quam necessarii sunt Reipublicæ tum Christianæ,
tum civili, Magistri publici.*

PROPOSITIO unica. Magistri publici sunt Reipublicæ, tum Ecclesiasticæ, tum civili, maximè necessarii. Tales sunt primò Grammatici, qui pueros ad legendum, scribendum, & congruè loquendum efformant. Secundò Rethores & dialectici, qui adolescentes ad ratiocinandum, & ornatè differendum instituunt. Tertiò Artium quarumcumque liberalium Magistri, qui eas artes, quas liberales vocant, Philosophiam scilicet & Mathematicam demonstrant. Quartò juris peritiri, qui utrumque jus Canonicum & Civile explicant. Quintò Theologi, qui Christianæ Religionis dogmata exponunt.

Probatur 1^o. Ex usu perenniter observato in Synagoga, in Ecclesia, imò in Paganismo. In Synagoga quidem, ea semper viguit consuetudo, ut pueris edocendis præficerentur Magistri publici, qui in schola publica super subsellia stantes ad pedes haberent sedentes

pueros, quos instruebant: ideo Paulus ad illum usum alludens, facetur se instruētū fuisse ad pedes Gamalielis. Observata pariter est eadem lex apud Christianos, ut testatur Eusebius lib. 5 Cap. 10. Hist. Eccles. Ubi loquens de Panteno, publico Scholæ Alexandrinæ Magistro, hæc ad nostrum propositum dicit; *Jam inde*, inquit, à *priscis temporibus sacrarum litterarum Schola* in ea civitate fuerat instituta, quæ quidem nostrâ adhuc etate perseverat, & ab hominibus tum eloquentiæ, tum divinarum litterarum instruētissimis obtineri dicitur. In eodem publico munere docendi sese exercuerunt Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique non pauci insignis eruditioñis viri. Munus pariter docendi publicè non despexit paganismus, quamvis aliunde tenebris undequaque circumfusus; erant enim in celeberrimis urbibus Scholæ publicæ, in quibus non modò juvenes, sed etiam jam proiectâ aetate viri docebantur. Inde natae sunt diversæ Philosphantium Sectæ: ergo Sinagoga, Ecclesia, imò & Paganismus, publicos Magistros maximè necessarios judicarunt.

2º. Ex erectione universitatum & societatum, in quibus munus docendi publicè ex Officio exercetur. Is est, semperque fuit cuiuscumque Reipublicæ usus, ut pueris instituendis Magistros publicos præficiat, qui tenerent eam aetatem circa liberales disciplinas, circa mores & religionem edoceant. Postremum istud munus, docendi scilicet religionem, quasi sibi proprium Christus assumpit, & illud idem Officium suis, tum Apostolis,

tum discipulis, eorumque successoribus, scilicet Episcopis & Parochis commisit: *Euntes, inquit, docete omnes gentes.* Ideò primo nascentis Ecclesiæ exordio, non alii erant Magistri, quam pastores, qui tam juvenes, quam senes Religionem edocebant; sed cum crescente in dies christianorum numero, singulis instituendis non sufficerent Episcopi & Parochi, munus docendi pueros publicis Magistris commissum est; et tamen cautione, ut dum liberalibus disciplinis explicandis incumberent, circa religionem exponendam in primis occuparentur. In eo munere excelluerunt omni tempore, omni ætate, insignes viri, qui Religionis Doctrinam cum liberalium artium institutione fructuose conjunxerunt. Sed cum privati homines vix possent tot erectis scholis sufficere, autoritate Papæ, Regumve munificentia erectæ sunt universitates, qualis est v. g. Parisiensis, Lovaniensis, Salmaticensis, &c. Quorum alumni non alio, quam discendi & docendi munere occupantur. Institutæ sunt Sacrae Societates, quarum subditæ ex Officio, ex obedientiæ voto, in publicis Collegiis pueros instituendos suscipiunt; tales sunt patres Somaschi, Barnabitæ, Jesuitæ, Patres Doctrinæ Christianæ, & Oratorii, qui cuo Officium illud, non nisi autoritate Papæ, & Regio diplomare exerceant, munus docendi publicè & Ecclesiæ & reipublicæ maximè necessarium evincunt.

3º. Ex jure Canonico. Can. De quibusdam dis. 37. Ubi sic habetur. *Omnino cura & diligentia adhibeatur, ut Magistri constituantur, qui studia litterarum liberaliumque artium dog-*

mata assiduè doceant : quia in his maximè divina manifestantur atque declarantur manda. Et Cap. Quia nonnullis de Magistris istud præcipitur. Eligendus est, qui clericos Ecclesiæ ipfarum gratis in grammaticæ facultate, ac alios instruat juxta posse : Ergo habemus ex jure Canonico, quām necessarii sint Magistri publici. Idem ostendit jus civile, dum varia privilegia ab imperatoribus professori publico concessa euumerat.

4^o. Ratione. Illi Magistri sunt in utraque Republicâ Ecclesiasticâ & civili maximè necessarii, qui juventutem ad christianismum efforment, & ad civilem societatem instituant, ut patet : Atqui hoc præstant Magistri publici, quippe dum edocent, quo pacto pueri varias litterarum figuras discernant, quomodo characteres efforment, quā arte congruè loquantur, ornatè perorent, verè apprehendant objecta, de his prudenter judicent, accuratè discurrant : dum iidem Magistri artes liberales explicant, leges exponunt, Religionis Mysteria enucleant ; quid quæso aliud efficiunt, hominem ex agresti civilem, ex impolito politum, ex feroci mansuetum reddunt, demum sensim ad vivendum sanctè & Christianè alliciunt. Ideò Julianus apostata publicas Christianorum Scholas interdicto clausit, nactus & expertus, nihil esse Scholis publicis ad propagandam Religionem Christianam efficacius : Ergo Magistri publici sumi maximè necessarii.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Hi , quibus ex Officio incumbit publicos Magistros feligere, debent totis viribus eniti , ut homines tanto muneri idoneos elegant ; si enim tam impensè simus solliciti ; in reperiundo agricolas non inertes , opiliones vigiles , famulos sagaces : quorsum negligimus inquirere Magistros publicos , pueris instituendis maximè pares ? An agrorum culturam , armentorum curam , rei domesticæ custodiam pluris facimus , quam rectam puerorum institutionem ? Cum tamen ex solâ puerorum educatione domestica pax , Ecclesiæ nitor , Reipublicæ ornementum omnino pendeant ; debent igitur hi , quibus hæc cura demandatur , aptos Magistros , qui publicè docturi sunt , quavis sollicitudine inquirere , ubi vis gentium sint , reperire , & repertos quovis pretio evocare & retinere . De Magistris enim publicis eadem fermè dici possunt , quæ Hormisdas Papa dicit de presbiteris , scribens ad Episcopos per Hispaniam Epis. 3. *In Sacerdotibus , inquit eligendis eu- ram oportet esse perspicuum ; irreprehensibiles enim esse convenient , quos praesse necesse est corrigendis.*

Sic Ecclesiæ & Reipublicæ primates , quales sunt Episcopi in sua Diœcesi , Patochi in sua Parochia , proreges in Provinciis , consules in urbibus , debent invigilare , ut idonei Magistri scholis præficiantur , à quibus pueri bonis litteris imbuantur , honestissimis disciplinis erudiantur , saluberrimis Philosophiæ

præceptis efformentur, circa leges, circa dogmata fidei, ut pat est, instruantur. Sic superiores earum societatum, quibus pueris educandis ex Officio incumbit cura, debent maximè cavere, ne Scholas sibi commissas imparibus magistris regendas exponant: fallerent quippe publicam fidem contractuum, quibus se cum urbibus obstrinxerunt, polliciti se juventutem, & circa pietatem, & circa liberales disciplinas accurate edocturos. Sic cum cathedra vel artium, vel juris, vel Theologiae, disputationi subjicitur; hi, qui jus habent ferendi suffragii, debent ex concertantibus digniorem feligere. *Absurdum enim*, inquit Leo, *ut imperiti Magistris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis.* Epis. 85. ad Episcopos Africanos: si enim leges severissimè animadvertant in eos, qui publicos fontes occludunt, aut sponte fluentes aquas divertunt, aut aquarium latices perturbant, aut quod pejus est, veneno occulto inficiunt, quanto majori crimine se commaculant inusti illi electores, qui cum obvium habeant eruditum professorem, inter concertantes digniorem, qui puris aquis Doctrinæ purissimæ sipientem juventutem explebit, aut importunis pretibus flexi, aut inani metu concussi, aut turpi lucro corrupti, posthabito digniore, ignarum suo donant suffragio, qui nihil nisi obscurum promet, nihil nisi indigestum effutiet, qui, ut potè insigniter ignarus, aut saltem longè minus doctus, non nisi ignoros discipulos efficiet, quos alter eruditos reddidisset. *Quid est hoc, nisi puras aquas, aut divertere, aut perturbare, aut quod in-*
dignius est, veneno inficere,

CONSECTARIUM II. Gravissimè peccant prædicti omnes , qui Scholis publicis eum præficiunt , quem sciunt certò indignum , aut qui minus dignum , post habitu digniore , eligunt. Peccant primò contra Deum , qui sicut vultad Beneficia digniores eligi , ita vult aptiores ad munus publicè docendi evehi ; non enim minor videtur requiri fidelitas in eligendo professore publico , quam Beneficiario : Beneficiarius quippe solam plebem instruit , professor publicus clerum , à quo instruendus est populus . Plebs deficiente parrocho doctores habet quam plurimos , quos consulat , Sacerdotes , Religiosos , Laicos eruditos ; Scolastici verò qui Academias frequentant , non alium habent doctorem , à quo doceeri possint , quam illum , qui publico suffragio electus est : proinde istius infiditia est longè magis noxia , quam Beneficiarii infiditia . Secundò qui minus dignum magistrum eligunt , peccant contra Ecclesiam ; contra Rempublicam , cui injustè subripiunt eas omnes utilitates , quæ ex rectiori puerorum institutione orituræ fuissent , si dignior fuisset electus . Tertio peccant contra pueros ipsos , quibus optimam institutionem substrahunt . Quartò peccant contra edicta Regia , quibus cavitur , ut in hujusmodi disputationibus dignior eligatur . Sic enim habet edictum Blesense . art . 76 . *Sera preferè celuy qui... aura été trouvé le plus digne par le jugement des Docteurs Regens de ladite faculté.* Quinto peccant contra Religionem juramenti ; liquider omnes Ecclesiæ & Reipublicæ primates expresse juramento se obligarunt , ea se fide-

liter & exactè adimpleteuros, quæ ad majus & Ecclesiæ & Reipublicæ bonum spectare judicaverint, quò haud dubiè pertinet dignoris Magistri electio. Doctores verò publici, qui suffragio suo Magistrum publicum electuri sunt, hoc se solemai juramento devinciunt, antequam ad electionem procedant,
Juro tacitis Sacro - Sanctis Evangelii, me ad Cathedram vacantem digniorem electurum ex animi mei sententia, & nemini meum suffragium promissi, neque directè, neque indirectè.

Videant ergo electores, quibus quantisque se se peceatis onerent, dum Magistrum publicum, aut certò indignum, aut etiam minus dignum assumunt. Ex iniqua illa electione prodeunt justa studiosæ juventutis murmura, quæ meritò plangit, dum ei panis doctrinæ subripitur; & infeliciter evenit illud prophetæ. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Thren. 4. v. 4 Hinc pariter oritur frequentissimè juventutis corruptio, quæ ubi sentit se digniori Professore injustè orbari, fastidium erga litteras concipit: quod tedium studii ubi semel contraxit, in omne vitiorum genus præceps prolabitur; hinc ignati Sacerdotes, muti Parochi, imperiti judices, ad justam & injustam causam defendendam proclives Advocati, tam æquitaris, quam iniquitatis defensores; hinc Scholæ publicæ vacuae; universitates desertæ; hinc est quod sileant academiarum pulpita, langueant studentium disputationes, & quod omnes liberales disciplinæ, semoto omni æmulationis stimulo penitus obscurentur. Demum cum juxta statuta facultatis Parisiensis art. I.

*Omnium Regnum & populum felicitas, tum
maxime Republicae Christianae salus à recta ju-
ventutis institutione pendeat; quæquidem rudes ad-
huc animos ad humanitatem fletit, steriles alio-
quin & infructuosos Republicæ munis idoneos &
utiles reddit; Dei cultum, in parentes & pa-
triam pietatem, erga Magistratus reverentiam,
& obedientiam promovet.* Consequens est ut
tot honorum jactura in eos refundatur, qui
Magistros, aut certò indignos aut minus dig-
nos, posthabitis dignioribus, eligunt.

C O N S E C T A R I U M III. Prædicti om-
nes, qui vel indignum, vel minus dignum,
neglecto digniore, assumunt, non solum gra-
vissimè peccant, sed etiam ad restitutionem
tenentur ingentis illius damni, quod Respu-
blica Ecclesiastica & civilis patitur, & illius
detrimenti spiritualis, quod innoxia juventus
incurrit, dum loco eruditæ professoris ignarus
& minus eruditus in cathedra statuitur; quia
injusti illi electores non modò justitiam dis-
tributivam violant, denegando cathedram dig-
niori, sed etiam justitiam commutativam of-
fendunt, dum damnum injustè inferunt Ec-
clesiæ, Republicæ & juventuti: & hæc in-
justitia longè deterior est, quam sit ea, quam
nobis bona fortunæ subripiuntur: ut docet
Isidorus Hispalensis. lib. 3. de summo bono.
Cap. 38. Deteriores sunt, inquit, qui sive
Doctrinis, sive exemplis vitam moresque bono-
rum corrumpunt, his qui substantias aliorum
prædiaque diripiunt. Nam multum distanti dam-
na morum, à damnis temporalium rerum, dum
ista extra nos sunt, mores verò in nobis. Illud
autem damnum inferunt, & Ecclesiæ, &

Reipublicæ , & juventuti , qui eis eruditos
Magistros substrahunt , & minus eruditos præ-
ficiunt.

MONITUM. Ingens illud damnum ex in-
justa hac electione proveniens ab electoribus
reparandum esse nemo diffiteret ; quia juxta
Augustinum : *non remittitur peccatum , nisi
restituatur ablatum.* Sed quo pacto ea restitutio
fieri valeat , non video ? qui fiet , ut resar-
ciantur ea singula damna , quæ intulit Eccle-
siæ ignarus pastor , aut in tempulicam in-
vexit ineruditus magistratus ? Qui fiet , ut
jurentuti redeat illud tempus , quod infeli-
citer insumptum est in addiscendis scriptis ,
vel obscuris , vel malè digestis , imò aliquan-
do opinionum aut in fide , aut in moribus
periculosarum plenis. Nullum aliud huic ma-
lo remedium afferri potest , quam ut fusis
apud Deum precibus Patrem - familias enixè
postulemus , ut mittat operarios in vineam
suam , qui eradicent vepres erroris , & plan-
tent frutices veritatis ; item ut mittat
Magistros veraces , qui non accipient per-
sonas hominum ; sed viam Domini in veritate
doceant. Item rogemus suppliciter Deum ,
qui doctores mittat , inter quos nou sint schis-
mata , quorum alii non dicant , Ego Pauli ,
Ego vero Cephæ ; sed singuli istud unum am-
biant : *Ego autem Christi.*

ARTICULUS II.

Qualis debeat esse, qui ad munus publicè docendi eligitur.

PROPOSITIO unica. Qui ad munus publicè docendi eligitur, debet esse immunis ab illis cordis, mentis & corporis defectibus, qui Scholasticos à studio removere possent: oportet, ut sit eorpore sanus, ingenio sagax, integer moribus, ut cuncta, quæ in eo sunt, discipulos attrahant, & ad studendum suaviter allicitant.

Probatur 1º. Exemplis desumptis ex scripturâ. Christus missus à Deo ad docendum omne genus humanum, Apostoli missi à Christo ad docendas omnes gentes, Prophetæ illuminati ad docendos Judæos, nullos habebant, quod sciamus, defectus vel cordis, vel mentis, vel corporis, quibus audientes à docilitate retraherentur; Christus enim erat corpore speciosus, mente omni-scius, probitate sanctissimus; idem cum aliqua proportione de Apostolis & Prophetis dici potest: ergo eum aliquem ad munus publice docendi eligimus, quantum fieri potest; debemus præcavere, ut hi qui assumuntur, iis defectibus immunes sint, qui discipulos à studio possent removere.

2º Ex jure Canonico. Ecclesia excludit à clero eos, qui sunt irregulares, vel ex defectu corporis, vel ex defectu animæ, vel ex defectu natalium; quia defectus illi possent efficere, quod plebs minus esset docilis, minusque

nusque venerabunda erga Pastores, & erga clerum: atqui iidem defectus eamdem indocilitatem & contemptum potiori jure puerorum mentibus ingerunt: ergo si praedicti defectus reddant ineptos ad statum Clericalem, reddunt à fortiori ineptos ad docendi officium: pueri quippe magis ducuntur sensibus, quam homines jam graves, & ad maturam ætatem perducti.

3. Ratione. Qui sibi aliquem finem proponit consequendum, debet ea omnia arce-re, quæ à consequendo fine removent: ergo qui Magistros scholis præficiendos eligit, debet ab hujusmodi exercitatione eos removere, qui his scatent vitiis vel corporis, vel mentis, vel cordis, quibus auditores à fructibus ex præceptis & Doctrina Magistrorum perecipiendis possent deterreri: ergo feligen-di sunt Magistri; qui careant defectibus tum corporis, tum mentis, tum cordis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. De defectibus corporis A munere docendi publicè excludi debent hi, quorum distorta corporis configuratio aut risus, aut contemptum tantisper posset excitare: vix enim credi potest, quantum horrorem erga litteras puerorum mentibus ingenerat corporis disforinitas, nisi hic defectus præcessa mentis sublimitate compensetur. Sint ergo, quantum fieri potest, Magistri publici corpore bene compositi, gestibus concinni, vestibus venerandi, soloque sui aspectu reue-tentiam inspicient, & amorem intuentium sibi

concilient; graves sint, sed non severi, modesti sint, sed non hypocrita, verecundi sint, sed non meticulosi; habeant oculos placidos, frontem hilarem, vulnus comem, demum nihil sit in corpore, in gestibus, in vestitu, quod discipulorum offendat oculos, quod risum moveat, quod contemptum ingrat, aut saltum absit omnino, quidquid pueris aut horrorem, aut metum, aut fastidium litterarum inspirare posset.

C O N S E C T A R I U M II. *De defectibus mentis.* A munere publice docendi excludi debent hi omnes, qui distortum, ut ita dicam, habent ingenium: si enim tales debent esse Magistri publici in exteriori corporis apparatu, ut nihil fastidii audientibus, aut intuitibus causare possint, à fortiori jure præstat melioribus lineamentis mentis esse effigiem; ut amorem erga litteras discipulis inspirare valeant. Quotquot ergo ad Officium docendi publicè evehuntur, mentem habeant in concipiendo sagacem, in judicando prudentem, in disputando rectam, & singula, quæ tradenda sunt, methodicè distribuentem. Exulent ergo ab Officio docendi, qui nec naturâ, nec doctrinâ, nec usu digni sunt, ut ad illud exercitium evehantur.

C O N S E C T A R I U M III. *De defectibus cordis.* Nulli admittantur ad Officium docendi publicè, nisi longo ante tempore consideriter optimis moribus esse imbutos, ut docet Concilium Burdigalense anno 1624. Current, inquit, rectores de moribus præceptorum, vita, Religione, statu. *Neminem enim, ut deflet Erasmus, hodiè tam abjectum, tam*

inutilem , tam nullius rei videmus , quem vulgus non existimet idoneum moderando ludo litterario. Atqui illi se regnum nactos rati , mirum quam ferociant , quod habeant imperium , non in belluas , ut inquit Comicus , sed in eam aetatem , quam oportebat omni lenitate foveri. Dicas non esse scholam , sed carnicinam , praeter crepitum ferulatum , praeter virgarum strepitum , praeter ejulatus ac singultus , praeter atroces minas , nihil hic auditur. Quid aliud hinc discant pueri , quam odisse litteras ? Hoc odium ubi semel insedit teneris animis , etiam grandes facti abhorrent a studiis. Demum sic convenit esse praeceptorem , qualem depingit Quintilianus : Minime , inquit , sit iracundus , nec tamen eorum , que emendanda erunt , dissimilator , simplex in docendo , patiens laboris , assiduus potius quam immodicus , in emendando , que corrigenda erunt ; non acerbus , minimèque contumeliosus ; nam id quidem multos a proposito studendi fugat , quod quidam sic objurgant , quasi oderint. Non austерitas ejus tristis , nec dissoluta comitas : ne inde odium , hinc contemptus oriatur. lib. 2.
Cap. 2.

ARTICULUS III.

Quem Prototypum sibi proponere debeat , qui ad Officium publicè docendi assumitur.

PROPOSITIO unica. Qui ad munus publicè docendi assumptus est , vel per electionem , vel per obedientiam legitimis superioribus debitam , Christum debet in eo

256 MORALIS CHRISTIANA.

exercitio sibi & invocandum & imitandum proponere , ut ab eo & addiscat & accipiat , quod debet sibi docenti , pueris instituendis , & veritati explicande .

Probatur 1^o. Scripturā. Cunctis fidelibus , sed maximē his , qui aliis instituendis incumbunt , dixit Christus . Exemplum dedi vobis ; ut quemadmodum ego feci , ita & vos faciatis .

Joan. 13. v. 15. Ergo Magistri publici debent sibi Christum imitandum proponere ; & quia non aliud est nomen sub cælo datum , in quo nos oporteat salvos fieri . Act. 4. v. 12. Ideo Christum non solum imitandum , sed etiam invocandum nobis debemus proponere , dum officium docendi exercemus .

2^o. Ex Aug. Epist. ad Volusianum. Venit Dominus Magisterium & adjutorium : Ergo in munere docendi oportet Christum & imitari & invocare .

3^o. Ratione. Dicunt Philosophi , & quidem meritò , quod primus in unoquoque genere est causa & exemplar cæterorum illius generis : atqui Christus est primus o Doctorum , juxta illud Joelis. 2. v. 2 dit vobis Doctorem justitiae . Juxta Isai 2. v. 5. Docebit nos vias suas . illud Lucæ 2. v. 32. Lumen ad reuelgentium . Ergo Magistri publici in ex docendi debent & Christum imitari , cuius suum addiscant , & invocare , ut nitum Officium exequantur .

*Consecaria, de his, quae Magistri publici
sibi ipsis debent.*

CONSECARIUM I. Magistri publici, qualescumque sint, sive in infimis Scholis, sive in mediis, sive in supremis doceant, debent professionem, quam exercent, quamcumvis ea abjecta videatur, gravisque sit & onerosa, debent, inquam, eam magni facere; nihil enim est, quod Christus pluris fecerit, quam officium docendi; Regiam enim dignitatem Dominus noster designatus est, fastum omnem saeculi pessimum dedit, sed Magisterii conditionem non abjecit. *Vos, inquit, vocatis me, Magister & Dominus, & bene dictis sum etenim.* Joan. 13. v. 13. & Math. 23. v. 10. Dicit absolute: *Magister vester unus est, Christus.* Nec rejectit subdolam illam Phariseorum laudem, quam tentabant illum in sermone intercipere. *Magister, aiunt, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* E contra divino penitus responso, & magistrum se manifestat, & temptationem eludit; petito enim numismate census interrogat eos dicens: *Cujus est imago haec & superscriptio?* dicunt ei Cæsar: *tunc ait illis, reddire ergo, quæ sunt Cæsar, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* En quomodo Christus ubique officium docendi, non indignum filio hominis judicavit. Et D. Paulus Divinam Christi dignitatem & benignitatem non aliter manifestat, quam ei attribuens doctoris officium: *apparuit, inquit, gratia Dei salvatoris.* ERUDIENS nos. ad Titum 2. v. 11. *Eaque docendi pro-*

fessio , quamvis onerosa & difficilis , & seculi amatoribus abjecta , adeò Christo in deliciis fuit , ut per totam vitam , quam egit publicè , eam numquam interrupterit : ut latè docet Nicolaus de Clemangis . Tota , inquit , Christi vita in docendo acta est ; modò turbas , modò Phariseos , interdum in sinagoga , aliquando in templo , nunc in terra , nunc in mari , nunc in monte , nunc in planicie , sepè plurimos , nonnumquam singulos , plerumque verbis , semper autem factis , laudabilium operum exemplis . Ex quo piissimus & eruditissimus autor istud concludit , ad nostrum propositum maximè spectans . Quis ergo illud , inquit , non fateatur esse optimum , quod Christus omnis boni forma , in mortali carne vivens , incessanter operari curavit . Ergo pessimè agimus , quicumque efficiunt docendi exercemus , si tædeat nos cum pueris vivere & conversari , quos Christus tam benignè complexus est ; si exercitium illud , quasi vile officium , abjectamente occupationem dedignemur : at certè infimas etiam scholas non sprevere multi antiqui patres , interquos annumeratur Hieronymus : hic cum Balbutientibus pueris vocales litteras cum consonantibus conjungere , & cum ipsis pronuntiare non indignum Doctori Ecclesiæ reputabat . Idem præstiteret alii non pauci , & quidem nostrisserè temporibus , Gersonius in fine viræ scholam erexit , ubi pueris & primos litterarum caracters agnoscere , & efformare , assiduo labore demonstrabat , multò glorioſior , cum mediis inter infantes hæc prima litterarum elementa edocet , quam

dum sublimis in pulpito medius inter Episcopos & Doctores totam in Concilio Constantiensi contra Hereticos tuetur Ecclesiam ; nulli enim Christiano potest esse inglorium illud officium , quod Christus exemplo suo Consecravit. Illud maximè pensent hi , qui ex vi sui statutū , suæque vocationis ad id munus voto Religionis se obligarunt , quales sunt Clerici earum societatum , quæ in eo exercitio occupantur.

C O N S E C T A R I U M II. Ubi quis ad munus publicè docendi assumptus , altam sui Magisterii concepit existimationem , studiò debet maximè insistere , ut se tanto muneri exequendo parem & idoneum efficiat : voluit enim Christus ut labore & studio assequerentur , quod ipse infusione habuit. Ideo Paulus publicum instruens Doctorem , Titum scilicet , studium ei maximè commendat. Attende , inquit , *lectioni & Doctrinae , & iusta in illis.* Et quidem meritò , licet studium sit omnibus sere Christianis tantùm utile ; est tamen omnino publicis Magistris necessarium. Primiò quidem , ut se ipsos doceant. Secundiò ut se vitiis alienos efficiant. Tertiò demum ut alios instruere valeant. Quæ singula videatur scriptura his verbis innuere. *Cogitavi , inquit sapiens , in corde meo abstrahere à vino carnem meam , ut animum meum transferrem ad sapientiam , declinaremque stultitiam , donec viderem , quid esset utile filiis hominum.* In quo ultimo præcipue situm est doctoris officium. Et D. Thomas explicans , quæ maximè requirantur . in eo , qui ad munus docendi publicè assumptus est , hæc statuit ; oportet

inquit, quod homo, qui docet, sit fortius plenitudinem cognitionis eorum, quæ docturus est, ut ex hoc alios instruere possit. Secundò ut possit confirmare, vel probare ea, quæ dicit; alias non esset efficax ejus doctrina. Tertiò ut ea, quæ concipit, possit convenienter auditoribus proferre. 1^a. 2^a. q. cxI a. 4. Quæ quidem, ut patet, in promptu haberi nequeunt absque studio & labore: *Quæ enim, inquit Hieronymus, Deus dedit Apostolis gratuitò per infusionem, ea voluit à nobis acquiri per studium & laborem.*

C O N S E C T A R I U M III. Ubi Magister publicus eam Doctrinam asscutus est, quæ tanto muneri exercendo est necessaria, tunc totus debet esse in excogitandâ aptâ methodo, quâ discipulis promere valeat, quod jam ipse in mente sua ordinavit; quod quidem aptè perficiet, si sequatur illud proverbium. 3. *Ne innittaris scientiæ tuae; sed, ut dicit Ecclis. 6. v. 35. In multitudine Presbiterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere: idest, non te pudeat doceiri ab his, qui in ea arte docendi excelluerunt.* Itaque Magister publicus antequam ad docendum se accingat, legat libros, qui de aptè instituendis pueris editi sunt, præcipue ab illis illustrissimis viris, qui curam principum in Gallia habuerunt; non pigeat, imò honori ducat à tot illustrissimis Doctoribus erudiri, sed in primis infixum animo hæreat illud divi Thomæ documentum. 2. 2. q. 49. a. 3. ad 2. Scilicet quod docilitas secundum aptitudinem, ut doceamus; est à naturâ, sed ad ejus consummationem plurimam vales humanum studium;

DE STATU LAICALI. 267
dum scilicet homo sollicitè, frequenter, & reverenter applicat animum suum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens ea propter superbiam.

Consectaria de his, quæ Magistri publici debent discipulis, qui docentur.

C O N S E C T A R I U M I. Magistri publici duo præcipue debent suis discipulis, scilicet bonum exemplum, & Doctrinam sanam; exemplum quidem, quo eos ad probitatem allicant, Doctrinam verò sanam; quā eos circa liberales disciplinas, ut par est, instruant. Utriusque illius officii exemplum habemus in Christo, de quo dicitur, Act. i v. 3. *Cœpit Jesus facere & docere.* Idem præcipit jus Canonicum Can. multi dist. 40. Ubi sic habetur. *Si bene vixeris, & bene doquieris, omnium judex es; si autem bene doquieris, & male vixeris, tui solius condemnator eris.* Nam bene vivendo, & bene docendo, populum instruis, quomodo debeat vivere; bene autem docendo, & male vivendo, Deum instruis quomodo te condemnare. Ergo sicut Sacerdos duo debet plebi, scilicet bonum exemplum & doctrinam, ita Magister eadem debet suis discipulis: quippe sicut Sacerdos plebi præficitur, ut eam doceat verbo, & ædificet exemplo, eodem prorsus fine suis discipulis Magister publicus præficitur.

C O N S E C T A R I U M II. Magister publicus ita debet exemplum & doctrinam accommodare, ut exemplum vires discipulorum non superet, doctrina verò captum corum

non excedat ; utrumque præsticit Christus ; vitam communem elegit , doctrinam omnibus congruam professus est ; inde est , quod nihil exemplo suo præcipiat , quod suave non sit : ait enim , *jugum meum suave est , & onus meum leve* : nihil doceat , quod parabolis non reddat captu facillimum. Unde D. Thomas laeti comparat doctrinam Christi propter ejusdem Doctrinæ pulchritudinem , dulcedinem , & facilitatem. Debet ergo prudens Magister juxta capacitatem puerorum & exempla proponere , & documenta monstrare. Si pueros infantes instruendos habeat Magister publicus , qui litteris dignoscendis & scribendis occupentur , non longos sermones instituat , nec longa præcepta perlegat : non enim oportet diu alloqui eos , qui vix fari sciunt. Quid ergo agendum ? gestu magis docendi sunt , quam verbo. Si quid indecori fecerit tenellus puer , suavitè admonendus factique immodestia gestu contrario indicanda. Ei exhibendus est modestus aliis juvenis , ut se se componat ad commonistratum exemplar , ducatur in templum , discat flectere genua , componere manusculas , aperire caput , dum intratur in templum , frontem aquâ benedictâ aspergat , signet modestè signo crucis , imagines sacras , crucem , altaria salutet , sileat in Ecclesiâ , horrorem quemdam ob loci sanctitatem concipiat , dum peraguntur sacra , dum Christus in altari præsens est , observantior sit & religiosior ; hæc & similia pietatis exercitia prius addiscat puer , quam fari sciatur , ut postea fructum dent salutarem in suo tempore. Si Magister eos pueros doceat , qui le-

gere incipiunt , aliis opus erit documentis , exulent à Scholâ omnes libri profani , impij , & impudici , & soli sacri permittantur , ut legendo pietatem , simul & lectionem addiscant ; legatur Evangelium Christi , Psalmi Davidis , &c. Et quidem Latinè & Gallicè , Latinè quia facilior est lectio , post modum Gallicè ; ut quæ legit , puer intelligat , exerceatur ea in ætate memoria in addiscendis memoriter præcipuis factorum eorum librorum sententiis , ut dum hæc præcepta memorie insiguntur , cordi simul inhæteant . Si Magister Grammaticam doceat , lectio matutina & vespertina in explicandis profanis autoribus non ita occupetur , ut nullus sit locus vel Evangelio , vel alii libro sacro lectitando , ex quo desumatur aliquid , quod Gallicè reddant juvenes Grammatici , quod memoriter recitare possint & de ea lectione Magistro rationem reddere , ut eorum memoria non profanis solum autoribus referciatur , sed in ea locum & quidem primum habeant ex Christi Sententiæ , in quibus Evangelicam Doctrinam summus ille doctor conclusit . Si vero Magister publicus Rhetoricam vel humaniores litteras demonstret , ostendat quām grayis , quām vehemens , quām fortis sacrorum Bibliorum eloquentia , cuius rei nos exempla quædam subjecimus , in tomo tertio , ubi de pedagogorum domestcorum officiis . Si autem Magister publicus Philosophiam doceat , infistat præcipue in ostendendo , quām pauca sint , quæ clare & distinctè percipiamus , injustos nos esse , qui exigamus claritatem & evidentiam in dogmati religionis , qui obscuritatem

in rebus Philosophicis non repudiamus, & qui fatemur cum Aristotele mentem nostram caligare ad manifestissima naturæ; quo jute exigimus nihil in Religione, ut verum admittere, nisi quod clare distinque percipiatur. Si verò Magistri publici, vel leges exponant, vel casus conscientiæ resolvant, vel Theologiam explicit, discipulos suos ad amorem veritatis totis viribus adhortentur. Sed de hoc jam jam uberiùs loquemur.

C O N S E C T A R I U M III. Quo pacto se gerere debeat Magister publicus, ut mores efformet. Magister publicus jactis primis Christianæ pietatis rudimentis; veniat ad documenta puerilis civilitatis: Sed ejus, inquam, civilitatis, quæ sit Christianæ probitatis & origo & custodia: documenta urbanitatis Christianæ ex Erasmo & variis aliis autoribus poterit colligere Professor publicus, quæ discipulis magis gestu indicanda erunt, quam verbis ut ea juvenes facilius concipient & tenacius conservent.

C O N S E C T A R I U M IV. Quo pacto se gerere debeat professor publicus, qui discipulos suos circa Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores litteras instituere voluerit. Hoc Consecratum legendum propono his solum, qui commode alibi legere non possunt, quæ tot illustres autores ea de re copiosissimè scripsierunt. Jactis ergo primis Grammatices perceptionibus, ubi puer prima noverit de Nominibus, de Verbis, de Syntaxi Rudimenta, quibus non scrupulosè immotandum erit, statim ad explicandos faciliores autores advocetur, Phædri fabulas perlegat;

castigatas

castigatas Terentii comedias, expurgata Horati carmina explicet; purgata Eralmi colloquia, & dialogos Vivis semper præ manibus habeat; historiam profanam à Justino, sacram à Severo Sulpitio addiscat, accepta tamen prius generali quâdam Cosmographiæ & Chtonologiæ notione, ut sciat quo loco, quo tempore ea facta contigerint, quorum legit narrationem; nulla sit dictio, cuius vim, regimen, sensum, vel proptium, vel metaphoricum ignoret: id vel a præceptore addiscat, vel in Dictionario querat. Inter legendos & explicandos prædictos autores, Professor perceptiones Grammaticas ante traditas ind'cabit, quibus non nihil novi adjicet, velut jam cum ad majora properans. Ex illis autoribus præceptor themata, ut vocant, extrahat, quæ Gallicè data, latinè faciat discipulus; caveant maximè Professores, ne themata aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam hibeant, aut venustam sententiam, ab ingenio tamen puerili non abhorrentem, ut interim aliud agentes, simul & aliquid addiscant pueri, studio magis serio profuturum; proponat pueris historiam aliquam scitu dignam, cuius generis sunt mundi creatio, primorum parentum lapsus, mundi diluvium, sodomorum conflagratio, &c. In eo scribendi genere excelluit Dominus de Fleuri in suo Historico Catechismo. Fabellam aliquando proponat ex Phædro, ex Æsopo desumptam; & statim latentem sensum aperiat. Sententiam aliquam gravem aut ex scripturâ, aut ex profanis autoribus extractam, Professor Gallicè proponat, & scho-

laetici latinè reddant : hujus-ce generis copiam ubetrimam suppeditabunt Erasmi adagia. Brevem aliquando Epistolam , vel suasionem , vel dissuasoriam , vel consolacionem , vel laudatoriam componat , aut ex polito auctore sumat Professor , quam latinè reddent Discipuli : quod genus scribendi discet Professor ab Erasmo de conscribendis Epistolis. Cæterum sciat Magister publicus , nihil esse difficilius , quām Thema scribere ; ideoque numquam imparatus id tentet , nisi velit & discipulis nocere , & se ipsum risui exponere , & munus pædagogicum spernendum reddere. Quod dedit Gallicè , ipsemet latinè faciat : Sed tersâ & purâ latinitate , ut exemplar habent discipuli , quod inoffenso pede æmulentur : vel si malit , ex aliquo auctore purioris stili totum extrahat : habemus enim & Ciceronis & Plinii , &c. scripta , gallicè redita , à quibus id haurire poterit , quod ab eo exigimus. Cæterum sciant Magistri publici maximum fructum colligi , cum latinus autor in nostram linguam transfertur : quare convenit pueros sæpissimè in eo exercitio occupari , & quidem frequentius , quām in genere scribendi latinè : pauci enim frequentant Collegia , ut loquantur latinè ; singuli verò , ut latinum idioma intelligant. Loquentur primùm suā linguā pueri ; quæ illis domi nata est : nam aliàs obtunditur & hebetatur ingenium puerorum , si eis materna lingua cogitata sua expromere omnino interdicatur. Ubi mentem idiomate jam noto adolescens aperuit , si quid etiam in eo idiomate peccayerit , emendabit præceptor : nam

absurdum est Gallos , v. g. latinos soleſcimos fugere , & Gallorum linguam , quā quotidianie utendum sit , ignorare . Quæ ergo maternâ linguâ semel protulit , de hinc paulatim latine discet , ut inter primordia studiorum mixtus sit sermo in schola , ex patro & latino . Primâ ætate exerceatur memoria , quæ excolendo augetur ; multa ei commendentur cum curâ & sæpe : nam illa ætas laborem non sentit ; quia non expedit : & ita extra laborem omnem & negotiorum dilatatur memoria , & sit capacissima . Sed maximo delectu opus est in seligendo , quæ à pueris addiscenda sint . Dominus de Nicole vult fusori ſtilo scripta , quales sunt orationes Ciceronis , eſſe quidem legenda , sed non memoriarum mandanda . Seligendæ ſunt ad exercendam puerorum memoriam graves Sententiæ , vel Scripturæ Sacræ , vel profanorum autorum , quales ſunt Sententiæ Poëtarum , Sententiæ Philosophorum , quarum delectum , aut in libris Magister reperiet , aut ipſem colliget . Ubi per aliquot annos pueri in explicandis autoribus & ſcribendis thematis fuert occupati , tradantur illis nuda Rethorices & Dialectices præcepta , & inter explicandos autores ostendatur eorum præceptorum uſus , & ipſimet modò fabulas enarrant , modò facta historicā deſcribant , modò oratiunculas proprio marte componant , ſed ex directione præceptoris . Ampla hujus generis exempla ſuppeditabit Erasmus de copia rerum & verborum , exacta Rethorices præcepta ex Aristotele & Poëtica horatii deſumet , demum ex multis aliis autoribus & antiquis & recentioribus : ſed anti-

quos recentioribus in hoc genere scribendi præferendos puto. Est enim tempus Probatæ Doctrinæ judex ; cunctorum , quæ vana nec magni sunt momenti, vastator Plurimi hoc ævo magnâ autoritate scribunt , verum tempus iudicium feret , num quid posteris dignum gerant , interim antiquos legamus multorum jam sæculorum applausu probatos. Verum enim dixit Basilius : *Quod vetustate excellit , majori honore dignum est.*

CONSECTARIUM V. Quo pacto se gerere debeat Professor publicus , qui Philosophiam , Theologiam , leges tum civiles , tum Canonicas exponit. Hic enim , cum non verborum , sed rerum cognitioni incumbat , longè cauтор sit , oportet , eique maximè necessarius est rerum explicandarum delectus : quippe cum nullus sit homo , quantumvis sagax , qui veritates omnes collectivè sumptas possit addiscere. I^o. Ob vitæ brevitatem , quæ singulis examinandis non sufficit. II Ob lapsum memoriæ , quæ , dum uni veritati ardenter insistit , alterius oblitioseatur , v. g. dum Mathematicis studet , alia scientia evanescit. III. Ob varia occurrentia negotia , quæ nos vel invitatos à studio retrahunt : nemo enim liber est ab omni curâ. IV. Ob defectum librorum , aut aliorum instrumentorum , quæ ad singulas scientias acquirendas sunt necessaria. V. Ob laborem , quo corpus per studium attenitur. VI. Demum ob difficultatem , quæ in multis scientiis reperiatur : etenim ut dicit scriptura. *Qui addit scientiam , addit laborem.* Cum ergo singulæ scientiæ sint ita comparatu difficiles , ita post-

quam comparatae sunt , fugaces & labiles ; prudentia dictat , ut solis veritatibus necessariis insistamus : quorsum enim rem maximè pretiosam , tempus scilicet , in inquirendis veritatibus aut sterilibus , aut inutilibus insumeremus ? Si enim ad utilia non satis sit temporis ; cur & vacabit redundantia consecutari ut enim ait profanus autor : *Nisi utile est quod facimus , stulta est gloria.*

Quotquot ergo docendis adolescentibus incumbimus , audiamus Apostolum , sic magistrum publicum , Titum scilicet , instruentem . Loquere , inquit , quæ decent sanam Doctrinam : sanam , id est , eam solum , quæ prodesse valeat , & non obesse . 2. v. 1. Stultas autem quæstiones , & genealogias , & contentiones & pugnas legis devita : sunt enim inutiles & vanæ . 3. v. 9. Et scribens ad Timotheum , ait . Noli contendere verbis ; ad nihil enim utile est , nisi ad subversionem fidelium . 2. cap. 1. v. 14. Demum imitemur Christum , qui discipulos ea omnia docuit , quæ tunc ad eorum progressum , tunc ad Ecclesiæ instructionem necessaria duxit : ea vero , quæ tunc illis , tunc nobis credidit inutilia , explicate , etiam saepius interrogatus , recusavit . Non est vestrum , inquit , nosse tempora , vel momenta , quæ pater posuit in sua potestate . Act. 1. v. 7. Sublimiora ergo illarum scholarum professores , ut prudenter & utilem veritatum delectum faciant , & ut quilibet id , quod proprium suum munus respicit , doceat , veritates omnes ad quatuor classes reducimus . I. Aliæ sunt veritates , quæ ad animarum sanctitatem pertinent , & nos circa religionem instituimus : Eu-

justmodi sunt elementa fidei , documenta morum , & christianæ urbanitatis præcepta ; quæ in quocumque autore reperiantur , attente consideranda sunt. II. Aliæ sunt veritates , per quas necessitatibus corporis subvenitur : eujusmodi sunt alimentorum inquisitio , sine quibus ne punctum quidem temporis possumus subsistere ; cui succedit inventio vestium , per quas adversum vim frigoris & caloris mutantis incedimus ; quibus & proximè accedit ædificiorum inventio , quæ contra tempestatum injurias , & contra brutorum incursus securos nos reddunt. III. Aliæ sunt veritates , quæ vitam humanam & civilem , & commodam efficiunt : hujusmodi sunt omnes illæ artes , quibus mentis nostræ cogitata promovimus ; omnes illæ leges , quæ nos in societatem adducunt , efficiuntque ejusdem familias filios , ejusdem urbis cives , ejusdem regni subditos : tales sunt pariter omnes illæ artes mechanicæ , isto carmine contentæ. Urbs , nemus , arma , rates , vulnera , lana , faber. Quæ artes , ut potè necessariæ , non sphenendæ sunt , sed maximè excolendæ. IV. Aliæ sunt veritates , quæ voluptati magis quam utilitati inserviunt , quæque curiositatem magis sovent , quam vitam humanam commodam efficiant , quas artes liberales vocant : & isto carmine concluduntur. Lingua , tropus , ratio , numerus , tonus , angulus , astra. Quibus , diutiùs quam par est , labore vulgo inutili occupamur. Cum ergo singulis illis veritatis addiscendis virtutæ nostræ brevitas pat esse non possit ; sciat Professor publicus , in eo fidem esse maximam sapientiae partem , ut

inutilia resecet, utilibus vero maximè immoretur, nullique quæstioni insistendum, quæ nec ad religionem, nec ad corporis sanitatem, nec ad vitæ humanæ vel societatem, vel utilitatem conducit. Si hujus regulæ tenaces essent Magistri publici, exulaient à scholis longæ illæ tum Grammatices, tum Rethoricae, tum Logices perceptiones, quæ tanto-pè distorquent juniorum ingenia, quæque tamen numquam in usum veniunt: spernentur in Philosophia vanæ illæ quæstiones, quæ nec ad animæ sanctitatem, nec ad corporis sanitatem, nec ad vitæ commodum tantisper inserviunt, tempusque utilioribus impendendum inutiliter occupant; numquam legerentur in scholis illa legum glossemata, quæ textum magis obscurant, quam elucidant, nec audirentur in Theologia tot curiosæ quæstiones circa possibilia, vel non possibilia, circa futura vel non futura ex vi alterius decreti, & alià id genus, quæ magis à fide nos avocant, quam adducunt, quæque nobis otium omne subripiunt, quo legendis scripturis vacaremus. Præscindendæ ergo sunt ut optimè monet Vincentius lyrensis vanæ illæ occupationes; cum enim omnia humana à tempore rapiantur, & nos ex eo aliquid invicem rapere debemus, quod in vitam proficiat æternam. Common. 1^o.

CONSECTARIUM VI. Professor publicus non solum prudentem & utilem debet facere veritatum delectum, quas discipulis explicet, sed ita inter explicandum debet eas discipulorum captui adaptare, ut eos semper attentos habeat; vix enim credi potest quan-

tum divagetur adolescentium mens , nisi aliquo commonitorio ad attentionem revoetur ; ideo ad facilitatem & certiorem discipulorum progressum identidem interrogandi sunt , ut frequenti interrogationum & responsionum communicatione mens adolescentium vires suas exerat , & promptius ac tenacius , quæ dicantur , concipiatur. Methodum illam Christus omnium doctorum exemplar sæpius adhibuit , sic enim interrogat Apostolos : *quem dicitur homines esse filium hominis.*

C O N S B C T A R I U M V I I . Non ita intra scholæ pomeria coarctetur Professoris publici sollicitudo , ut quid foris agant discipuli nullatenus curet ; sedulus è contrâ inquirat , quo pacto vivant discipuli , ur si quid peccaverint , quantum in ipso fuerit , redarguat , vel parentes aut verbo , aut litteris admoneat , si aut inertes , aut neglecto studio Iustibus deditos , deprehenderit ; à quo enim parentes , præcipue longè remoti , potius ad discere possunt filiorum suorum , aut in studendo negligentiam , aut inhonestam vivendi rationem , quam à Magistris publicis , quibus tanquam tutoribus juventus educanda committitur. Hujus sollicitudinis exemplum à Christo accepimus , qui discipulos suos non solum in Templo , non tantum in Sinagogis , sed etiam domi in privatis colloquiis edocebat , & licet desertus ab omnibus , eis tamen post resurrectionem sæpius apparuit , Petrum blasphemum intuitu suo revocavit , Thomam incredulum contactu sui corporis sanavit , discipulis cunctibus Emmaüs se comitem adjunxit , demum nihil non molitus

est, ut nullum perderet ex discipulis, quos à patre acceperat.

CONSECTARIUM VIII. Professor publicus non solum impræsentiarum discipulorum suorum studio debet providere, sed etiam in futurum prospicere; etenim non tam doccimus discipulos in scholis, sed potius aptos, qui addiscant, efficimus, & quasi ad futura studia præparamus: atque idèo discipulis suis indicare debet, qui libri legendi, & qua arte, quave methodo studendum sit. Prioris latinitatis autores ostendat Grammaticus; Poëtas, Oratores, Historicos ostendant humaniotum litterarum Professores; quâ methodo Philosophandum, aperiant Philosophi; quinam sint loci Theologici, ostendant Theologiæ Professores; quæ leges vigeant, & ubi reperiantur, ostendant Jurisperiti. Hujus Doctrinæ exemplum à Christo accepimus, qui, quos docebat, ad scripturas revocabat: *scrutamini, inquit, Scripturas;* ad legis peritos mittebat; *super Cathedram Moïsis sederunt Scribæ & Pharisei,* quæcumque dixerunt vobis, servare & facite; quique demum non verbo scripto, sed tradito, privatisque colloquiis, quid spectaret ad Ecclesiam, demonstrabat: *loquens eis de regno Dei.*

MONITUM, In quo statuitur, quomodo dirigenda sint adolescentium studia, tum circa rerum cognitionem, tum circa verborum delectum; in quo indicatur, quibus autoribus utendum sit, ut utrumque assequatur adolescens.

§. I.

In quo dirigitur studium humaniorum litterarum.

I. Cum in juvenibus memoria prævaleat, addiscendæ historiæ, tam Sacrae, quam prophaneæ, occupandi sunt, præmissâ generali notitiâ Cosmographiæ, & Chronologiæ. In Geographicis, post rudimenta Cluverii, Bertii, Vadiani, Ptolemaïum consulat & Ortelium, à quibus antiquam disceat Geographiam; ut verò novam acquirat, consulat recentiores, inter quos Samsonem, Robbum & Duvallium &c. Chronologian; discere poterit ab Ussorio, à Bibliopolâ Vitreâ, & ab Illustrissimo Domino de Bossuet, in suâ de historia generali methodo: huic tamen studio non diutiùs immoretur adolescens, ut potè utilioribus aliis occupandus. Historiam Sacram & prophanam à Domino de Bossuet addiscat, & autores ad marginem citatos consulat; & si latinè hæc velit addiscere, Usserium legere oportet, vel Chronogiam Tornellii.

Ut verò puriore latinitatem possit doceri, præstat autores latinitatis in varias classes distribui; cum non omnes pari studio sint imitandi, ut potè nec ejusdem temporis, nec ejusdem in scribendo puritatis. In primâ classe reponimus eos, qui circa Augusti tempora scripsérunt; tales sunt Cicero, Terentius, Plautus, Horatius, Virgilius, Catullus, &c. In secundâ classe, reponimus eos, qui ab Augusto ad Vespasiani usque atatem

scrip̄tore; quibus temporibus. teste Senecā, Suetonio, & Quintiliano, cœpit purior latinitas corrumpi: hujusmodi autores sunt, Quintus Curtius, Vellejus Paternulus, Valerius Maximus, Florus Romanus, quibus adjunguntur Plinii majoris historia, Plinii minoris Epistolæ, Martialis, Lucanus, Statius. In tertia classe collocati possunt, qui à Vespasiano usque ad Theodosium floruerē: ad quam plerique Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores pertinent; quorum sermones ceteris præstant: Ambrosius, Tertullianus, Arnobius, Minutius, &c. propter eruditio[n]is varietatem omnino legendi sunt; sed nequam imitandus est eorum stylus: sunt & alii autores, qui prædictis temporibus scripsere, quorum imitatio nobis non obesse[re], si selectiora loca præ aliis eligerentur: tales sunt Hieronymus, Lactantius, Cyprianus, &c. qui satis felicitè Ciceronem imitantur. Demum alii sunt autores corruptæ Latinitatis, quales sunt omnes ferè Scholastici, variique Oratores & historici, qui à quarto sæculo usq[ue] ad Erasmi & Vivis tempora scripserunt, quos ob rerum, quas docent, utilitatem legere possumus, ob stili barbariem emulari nequaquam licet.

§. II.

In quo dirigitur studium Theologicum.

Studium Theologicum sic ordinavit Dominus de Bossuët. Emenso Scholasticæ Theologiae curriculo, juxta ordinem temporum

legendos præcipit Sanctos Patres. In prima classe reponit eos, qui à tempore Apostolorum usque ad Concilium Nicænum hoc est, ad annum Christi 325. scripserunt: tales sunt Ignatius, Justinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Eusebius Cæsariensis. Aliqui in eadem classe ponunt Clementem Romanum, & Dyonisium Areopagitam; sed eorum opera creduntur supposititiâ. In secunda classe collocat autores, qui scripserunt à Concilio Nicæno, usque ad Constantiopolitanum tertium, id est ad annum Christi 681. Tales sunt Athanasius, Hilarius, Cyrilus Hierosolymitanus, Basilus magaous, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ambrosius, Gregorius Nissenus, Hieronymus, Rufinus, Prudentius, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Leo Papa Prosper Aquitanicus, Vigilius, Gelasius Papa, Fulgentius, Boëtius, Gregorius magnus. In tertia classe reponit eos autores, qui post sextum Concilium universale claruerunt, ab anno Christi 681. usque ad annum 1000. Ut sunt Venerabilis Beda, Joannes Damascenus, Bonifacius Magonutinus, Paulus Diaconus, Albinus, Alcuinus, Rabanus Maurus &c. In ultimâ classe reponit Scholasticos; id est, qui Theologiam methodice tradiderunt: tales sunt; Anselmus, Hugo de Sancto Victore, Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albertus magnus, D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Durandus, aliique non pauci.

His

His prælibatis, sic studium Theologicum instituendum tradit Dominus de Bossuet.

Veritatem Religionis Christianæ reperies apud Augustinum in libris, de Catechisandis rudibus : de Doctrina Christiana : de vera Religione : de moribus Ecclesiæ : & in Enchiridio. Idem argumentum tractatur à Chrysostomo & à Theodoreto, & Lactantio, & Arnobio.

Mysterium Trinitatis explicat I. Symbolum Nicænum. II. Athanasius, de communī essentiā Patris & Filii & Spiritū Sancti, primo Tomo Conciliorum, pag. 209. III. Decreta Synodi Nicænae. ibid pag. 248. IV. Epistola ad Serapionem. ibid. pag. 173. V. Orationes Gregorii Nazianzeni à trigesima tertia, usque ad trigesimam septimam. VI. Octo libri Augustini, de Trinitate.

Mysterium Incarnationis explicat. I. Athanasii Epistola ad Epictetum. II. Epistola Augustini ad Volusianum : & quoties loquitur de prædestinatione Christi. III. Epistola Cyrilli ad Concilium Ephesinum. IV. Epistola Leonis ad Flavianum. V. Decreta Concilii Chalcedonensis. VI. Anathematismi Cyrilli. VII. Satisfactionem Christi explicat Epistola Bernardi ad Abaillardum.

Mysterium gratiæ explicat Concilium Millevitanum, Arausicanum, Tridentinum, & opera Augustini & Prosperi.

Tractatus de Sacramentis ita potest ex partibus erui. De Sacramentis in communi, Aug. contra Donatistas, & contra Parmenionem; & Ambrosius, de Sacramentis, ut vulgo creditur ; & Catecheses Gaudentii &

Eucherii; & Chrysostomus, homiliâ 83. in Math. & 24. in tam ad Corinthus Cap. 1. De Baptismo agit Augustinus in sermonibus ad catechumenos.

De confirmatione & Eucratistia loquuntur catecheses Mystagogicæ Cyrilli Hierosolimitani. De pœnitentia agit Tertullianus de pœnitentia & pudicitia, & Cyprianus libro de lapsis, item Pacianus contra Novatianos, Ambrosius de pœnitentia, & Aug. homiliâ ultimâ inter quinquaginta.

Doctrina de orationibus pro defunctis explicatur ab Aug. serm. 32. de verbis Apostoli, & libro de curâ pro mortuis.

Quæ sit autoritas Ecclesiæ, quæ autoritas Episcoporum explicat Cyprianus ad Cornelium Papam & ad Florentium. Qualia debeant esse judicia Ecclesiastica ostendunt primæ actiones Concilii Chalcedonensis. Quæ sit autoritas traditionis divinæ docet Tertullianus libro de præscriptionibus, & Vincentius Lyrinensis, & Irenæus. Lib. 3.

§. III.

In quo dirigitur studium utriusque Juris, Civilis & Canonici.

Cum ego vellem studio utriusque Juris vacare multos consului & quidem eruditissimos utriusque Juris Doctores, qui me in immenso illo cursu dirigerent, à quibus has ego perceptiones accepi, quibus uti conatus sum, quibusve, si libuerit, uti poteris. Ad studium utriusque Juris, primum humaniorum litteratum & antiquitatis, tum prophane,

tum Ecclesiastice cognitio tibi afferenda est: vix enim sensus legum & Canonum percipi potest, nisi perfectè sciatur vis idiomatis, in quo leges & Canones scripta fuere, nisi etiam perfectè noris historiam illorum temporum, quibus & leges & Canones scribebantur. De quo studio supra in §. 1. Post politioris litteraturæ & utriusque historiæ cognitionem, logices præcepta addiscenda sunt, præcipue ea, quæ ad usum quotidianum inserviunt: ea præcepta nullibi reperies brevius & solidius tradita, quam in libro, cui titulus est *l'art de penser*. Ad Juris utriusque studium, non est, quod Rhetoricam tibi maximè commendem; cum in eo sita sit utriusque Juris utilitas, ut non solum recte possis sentire, sed & ea, quæ sentias, aptè & ornatè proferre possis & populo, & judicibus, ad quos agis: quæ singula sine Rhetorica fieri nequaquam possunt. Rhetoricam addiscere poteris in libro, cui titulus, *l'éloquence de la chaire & du barreau*. Post Logicam & Rhetoricam, accinge te ad studium Moralis Christianæ, quæ compendium est utriusque Juris: leges enim omnes & Canones singuli vel imperant, vel prohibent; imperant honestum, idque cum præmiorum pollicitatione; prohibent turpe, idque cum pœnarum comminatione, quæ duo Moralis Christiana efficit. His ergo præmunitus scientiarum adminiculis, libros Juris Civilis, & deinde Juris Canonici poteris evolvere, quorum catalogum hic texere inutile esset, cum hi libri sint omnibus obvii, & nos brevem utriusque Juris synopsim daturi sumus.

B bij

Qui in studio vel Medicinæ , vel Mathe-
matics dirigi voluerit , consulat viros in his
artibus peritos : unicuique enim , ut optimè
monet D. Thom. in sua arte credendum est.

M O N I T U M . Ne graveris , amice lector ,
si his diutiūs , quām fortē par erat , immo-
ratus sim ; memineris , me esse virum ejus
professionis , quæ in aliis instituendis occupa-
tur : ideòque pluribus hæc execurus sum , ne
illud Pauli mihi meritò reponeretur . *Qui
alium doces , te ipsum non doces.* Ad Rom.
Cap. 2. v. 12.

*Consectaria de his , quæ Magistri publici de-
bent veritati.*

C O N S E C T A R I U M I . Omnes Professo-
res publici , sed hi præcipue , qui vel Philo-
sophiam docent , vel Theologiam explicant ,
vel leges exponunt , vel resolvendis casibus
conscientiæ incumbunt , nihil aut pluris æsti-
mare , aut impensius diligere debent , quām
veritatem ; cæteri verò Professores , quales
sunt Grammatici , Rhetores , humanistæ , pro-
modo artis , quam docent , eodem zelo erga
veritatem animentur . Professores quippè pu-
blici debent ad imitationem Christi existimare
istud officium sibi commissum , scilicet ut ve-
ritati testimonium præbeant ; *ego veni , in-*
quit Christus , ut testimonium perhibeam ve-
ritati. Joan. 18. v. 37. & sapiens describens
officium Magistri publici hæc habet : *verita-*
tem meditabitur guttus meus , & labia mea
detestabuntur impium. Prov. 8. v. 7. Quibus
verbis officium Magistri publici indicatur , ut :

scilicet meditatam veritatem eloquatur, inquit Divus Thomas, & mendacium detestetur; & meritò quidem: Professores enim publici non sunt in Ecclesia ob alium finem, quām ut eas veritates doceant, quæ ad salutem, vel mediatis, vel immediate possunt inservire juxta illud Pauli ad Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerij, in edificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, ut jam non simus parvuli fluctuanies, & circumferamus omni vento Doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris.* Ergo Professores publici nihil debent pluris aestimare aut impensis diligere quām veritatem. Ideò in *Rationali Aaronis Scriptum legebatur; DOCTRINA & VERITAS.* Lev. 18. v. 8. quo indicaretur quam impensè veritatem diligere debeant hi, qui aliis instruendis præficiuntur.

C O N S E C I I. Professores publici debent singuli, quilibet juxta officium sibi commissum, veritatem sollicitè inquirere, dum latet; amanter complecti, dum patet; fortiter tueri, dum impugnatur. Si enim ii, quibus veritatis inquisitio & propugnatio committitur, eam neglexerint; continget illud maledictum, quod dolet Propheta Isaías. 59. v. 14. *Conversum est, inquit, retrorsum judicium, & justitia longè stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in obliuione.* Quomodo autem in-

quirenda sit veritas, paucis explicat D. Thom. 2. 2. q. 190. Art. 3. ad 4. Dicendum, inquit, quod homo ad cognitionem veritatis periret duplicitè: uno modo per ea, quæ ab alio accipit; & sic quantum ad ea, quæ homo à Deo accipit, necessaria est oratio: secundum illud sapientiæ. 7. Invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ. Quantum verò ad ea, quæ accipit ab homine, necessarius est auditus, secundum quod accipit ex voce loquentis; & lectio, secundum quod accipit ex eo, quod per scripturam est traditum. Alio modo est necessarium, quod adhibeat proprium studium; & sic requiritur meditatio. Quomodo autem amplectenda sit veritas, dūm pater, explicat Aug. lib. X. Confess. Cap. 23. arguens eos. apud quos veritas odium patit. Itaque, inquit, propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant: amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem: quia enim falli nolunt, & fallere volunt; amant eam, cum se ipsam indicat; at oderunt eam, cum eos ipsum indicat: inde retribuitur eis, ut qui se ab eâ manifestari nolunt, & eos malentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta.

C O N S E C T A R I U M III. Ubi Professor publicus eam sibi materiam, suo officio convenientem elegit; Grammaticus, Grammaticam; Rhetor, Rhetoricam; Philosophus Philosophiam; Medicus, Medicinam; Jurisperitus, leges; si quid ad Religionem, etiam remotè, ut aiunt, pertinens tractaverit; totum id Theologiæ subjiciat necessum est. Hæc enim scientia, inquit D. Thom. 1. part. q. 1. a. 5. In corp. superior est disciplina,

qui aliæ scientiæ , tanquam ancillæ debent
deservire: & ibid. ad 2. Theologia ; inquit ,
non accipit ab aliis scientiis , tanquam à superio-
ribus , sed utitur eis tanquam inferioribus &
ancillis. Oportet igitur omnes scientias per
Theologiam emendari & dirigi , ut expressè
docet Concilium Lateranense , sub Leone X.
in Bullâ , quæ inseritur sess. 8. his verbis.
Cum verum vero minimè contradicat , omnem
assertionem illuminatæ fidei contrariam , ut fal-
sam definimus , & ut aliter dogmatizare non li-
ceat , stricilius inhibemus. Etenim , ut opti-
mè docet Vincentius Lyrinensis , commonitorio.
I. Ille est verè Germanus & Catholicus Profes-
sor , qui veritatem , qui Ecclesiam , qui Christi
corpus diligit ; qui divine Religioni , qui Catho-
licæ fidei nihil præponit ; non hominis cuius-
piam autoritatem , non amorem , non ingenium ,
non eloquentiam , non Philosophiam ; sed hæc
cuncta despiciens , & in fide fixus & stabilis per-
manens , quidquid universaliter antiquitus Ec-
clesiam Catholicam tenuisse cognoverit , id sibi
credendum tenendumque decernit . quod verò ab
aliquo deinceps uno præter omnes , vel contra
omnes Sanctos novum & inauditum subinducū
senserit , id omne non ad Religionem , sed ad
tentationem credentium intelliget pertinere.

CONSECTARIUM IV. Professor pu-
blicus , sive Religionem ex Professo doceat ,
ut Theologus , sive in ea arte , quam docet ,
aliquid ad Religionem spectans attentet præli-
bare ; hæc quatuor exactissimè debet obser-
vare. I. Nihil de se ipso dicat. II. Singula
ex revelatione mutuetur. III. Antiquitatem
ameret , & novitatem fugiat. IV. Nihil secre-

tò dicere affectet; sed quæcumque docet, publicè & super recta prædicare gestiat. I. Nihil de se ipso dicat. Talis fuit primus omnium Doctor Christus. *Doctrina mea non est mea*, inquit, *sed ejus, qui misit me* Joan. 7. v. 16. Talis fuit Paulus. *Illud accepi à Domino*, inquit, *quod & tradidi vobis*. I. Ad Corinthi. II. v. 23. Hæc enim debet esse omnium, quotquot docemus, & mens & vox, scilicet. *Nos Religionem, non quā vellemus ducere, sed potius quā illa duceret, sequi oportere...* Non sua posteritati tradere, sed accepta à majoribus servare. Vincent. Lyrinensis. Ibid. II. Singula ex revelatione mutuetur. Quippe juxta Daniëlem 2. v. 28. *Est Deus in cœlo revelans Mysteria.* Et juxta Christum. *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem.* Joan. 16. v. 13. Si quis ergo, inquit idem Vincentius Lyrinensis, vellet in fide sanâ sanus atque integer permanere, duplicit modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet primò scilicet divinæ legis autoritate; deinde Catholicæ Ecclesiæ traditione. Sed, inquis, quid opus est ei, scilicet scripturæ Ecclesiastice intelligentie jungatur autoritas. *Quia videlicet scripturam Sacram pro ipsâ sui aliiudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, aliter Montanus, aliter Arius &c.* Annuntiare ergo aliquid Catholicis Christianis, præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licebit; & anathematizare eos, qui annuntiant aliquid, præterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nunquam non oportet, nunquam non oportebit. III. Professores publici antiquitatem & univcrsitatem

ament, novitatem omnem fugiant : circa quæ eos ita erudit sapiens, Ecclis. Cap. 8. v. 11. Non te prætereat, inquit, narratio seniorum : ipsi enim didicerunt à patribus suis : quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Verba sapientium, inquit Salomon, sunt sicut stimuli ; & quasi clavi in altum dixi... His amplius, filii mi, ne requiras. In ipsa Catholica Ecclesia, ut ait idem Vincent., magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, & quod ab omnibus creditum. Sequamur universitatem, antiquitatem, & consensionem. Sequamur universitatem hoc modo ; si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum fatetur Ecclesia : antiquitatem vero ita ; si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos, sanctos maiores nostros, ac Patres nostros celebrasse manifestum est : consensionem iidem ; si in ipsa vetustate, omnium, vel penè omnium Sacerdotum, pariterque Magistrorum definitiones sententiasque sectemur. IV. Nihil secretò dicere affectet, palamque omnia dicere gestiat magister publicus. Talis fuit primus omnium Doctor Christus. Ego, inquit, in occulto locutus sum nihil. Joan. 18. v. 20. Tales voluit esse suos Discipulos Christus. Quod, inquit, in aure auditis, prædicate super ieba. Math. 10. v. 27. Hæc sunt, inquit Vincent. Lyrinen signa Magistrorum, pellicientium ad errorem : discite, inquiunt, furtim, atque secretim : delictabit enim vos item, cùm didiceritis : Latenter docete, ne mundus audiat ; ne Ecclesia sciat : paucis namque concessum est, tanii Mysterii capere secretum. Nonne hæc

sunt, inquit Lyrinensis, verba Meretricis, que, apud Salomonis proverbia, vocat p̄tereuntes. Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite. Proverb. 9. v. 17. Doctor ergo publicus nihil de se ipso dicat, omnia à revelatione accipiat, antiquitatem amet, novitatem fugiat nihil in obscuro docere affectet, de hoc ultimo ita habet Bernardus. Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent. In medio stat communis unita, communibus disciplinis delestatur.

SECTIO II.

De munere discendi, seu de officiis Scholastico-rum Academias frequentantium.

Hic inquirimus, quid Deo, quid sibi, quid Magistris, quid veritati debeant Scholastici, Deo debent pietatem, sibi studium, Magistris docilitatem, veritati subjectionem & amorem; quod ut pateat, sit.

ARTICULUS I.

Quid Deo debeant adolescentes.

PROPOSITIO unica. Juvenes, hi p̄cipue, qui Academias frequentant, maximè debent virtuti & pietati sectandæ insister.

Probatur. 1°. Scripturâ. Libri sapientiales toti sunt in hortandis juvenibus ad pietatem: sic enim habetur Proverb. 3. v. 1. *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta meæ cor-*

tuum custodiat. Et Cap. i. v. 10. Si te lataverint peccatores, ne acquiescas eis. Et Ecclis. 2. v. 1. Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & prepara animam tuam ad ientificationem. Et v. 3. Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo & sustine. Quod non nisi per pietatem erga Deum potest fieri: ergo adolescentes debent virtuti sectandæ maximè insistere.

2º. Ex Ambrosio. Lib. de Officiis. *Honor adolescentium est, timorem Dei habere; parentibus deferre; honorem habere senioribus; castitatem tueri; humilitatem non aspernari, diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamen-ta sunt juvenilis ætatis.* Ergo adolescentes maximè hi, qui studiis incumbunt, debent virtuti sectandæ insistere.

3º. Ratione multiplici. Deus exigit virtutem in ætate juvenili propter plures rationes. 1a. Est ut Christum exemplar juvenitis imitemur, de quo scriptum est, quod ab initio conceptionis se patri obtulerit. *Ingre-diens, inquit, in mundum dixi ... Ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam* ad Hæb. X. v. 7. Pueri ergo imitentur puerum. Quid autem docuit puer ille purissimus de putissima Virgine natus, nisi ut omnem libidinem fugiamus. Quid autem docuit natus in rugiolo, nisi ut pauperein vitam agamus. Quid monstrat fugiens in Ægyptum, nisi ut inquinatorum commercium modis omnibus fugiamus, eorum præcipue, qui nobis Christum auferre moliuntur. Quid docuit circumcisus nisi ut omnes carnis affectus præscindamus. Quid docuit oblatus in templo, nisi ut totos

nos ab ipsâ infantia Deo rebusque divinis
devoveamus. Quid inventus in templo in
medio Doctorum sedens , audiens illos & vi-
cissim interrogans , quid inquam docuit nos ,
nisi ut totos nos ad studium sapientiae trans-
feramus. Quid vero docuit dum parentibus
subditus fuit , nisi ut simus parentibus mori-
geri ; præceptorum dictis obedientes . Quid
demum moriens pro veritate , nisi ut eam , quam
nos docuit Christus , veritatem impensè dili-
gamus ; ut jam jam dicemus . Secunda ratio.
Deus à pueris exigit pietatem ut justum & de-
bitum sibi tributum . Memento , inquit scrip-
tura *¶ creatoris tui in diebus juventutis tue ,*
antequam veniat tempus afflictionis Eccles. 12.
v. 1. Tertia ratio. Exigit Deus virtutem à
juvenilebus annis tamquam arrabonem futuræ
sanctitatis in senectute : *bonum est* , inquit Jere-
mias , *homini cum portaverit jugum ab ado-*
lescentia sua. Thren. 3. v. 27. *A*
enim juxta viam suam , etiam cum seni-
recedet ab ea v. 6. Proverb. 22 Ut enim
ronymus Epis ad Lætam difficulter e-
quod rudes animi perbiberunt Lanarum
lia quis in pristinum colorem revocet . ri-
diu & saporem retinet & odorem , quo
imbuta est. Quarta ratio. Deus demum exigit
pietatem ab adolescentibus ; quia haec est una &
præcipua ad scientias comparandas via , quo-
niam ut ait sapiens : *in malevolam animam*
non introbit sapientia , nec habitabit in cor-
pore subdito peccatis. Sap. I. v. 4.

Consecratio hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Maximè grata Deo conjuncta cum pietate adolescentia, præcipue cum pietas exercetur à juvenibus extra patriam suam degentibus: Hujus rei duplex exemplum habemus in scriptura: alterum in Joseph in domo Pharaonis, alterum in Tobia. Ille impudicæ fœminæ fortiter restitit & sollicitanti ad peccandum respondit: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* gen. 39. v. 9. Iste verò in captivitate positus inter idololatras vivens: *Cumque esset junior omnibus, nihil tamen puerile gessit in operre.* Tob. 1. v. 4. Atque ideo utrumque remuneratum post varias afflictiones voluit Deus. De Joseph dicitur: *descenditque cum illo in foveam & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi Septrum Regni.* sap. 10. v. 14. De Tobia verò dicitur: *sexagenarius lumen recepit; reliquum verò vitæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.* Tob. 14. v. 4.

C O N S E C T . II. Maxime odiosa est Deo impietas conjuncta cum juventute, cuius rei insignia exempla habemus in scriptura Ismael & Esau. Ut et que in juvenili ætate impii rejiciuntur à Deo Her primo genitus Judæ & hic fuit nequam in conspectu domini & ab eo occisus est. Gen. 38. v. 7. Ophni & Phines filii Heli, Absalon & Ammon filii Davidis in juventute impii ultricem Dei manum experti sunt: ergo omni ætate sed maximè in adolescentia fugienda est impietas.

ARTICULUS II.

Quid sibi debeant scholastici, qui Academias frequentant.

PROPOSITIO unica. Qui student in publicis Academiis, tenentur sub gravi peccato, pro vitibus studio incumbere.

Probatur 1. Scripturā. Sapientia Proverb. 8.v.5. Sic hortatur juvenes ad studium. *Intelligite, parvuli, astutiam, id est, prudentiam, & insipientes animadverte. Et v. 10. Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: Doctrinam magis quam aurum diligite.* Et v. 32. *Nunc ergo, filii, audite me: beati, qui custodiunt vias meas.* Atqui hæc omnia studium maximè requirunt. Ergo adolescentes; maximè ii, qui Academias frequentant, debent studio incumbere.

2°. Ex Hieronymo, Epistol. ad Nepotianum. *Sicut ignis inquit, in lignis viridis suffocatur, ita sapientia in adolescentia tentationibus & libidine impedita, non explicat suum fulgorem, nisi labore, & studio, & oratione, incentiva juventutis intra repellaniur.* Ergo juvenes, ii maximè qui frequentant Academias, debent studio insistere.

3°. Multiplici ratione. Prima ratio. Ille haud dubiè peccat, qui non exequitur ea, quæ sunt sui officii: ut patet. Atqui officium scholastici est, ut studeat: non enim alio fine frequentat Academias. Ergo graviter peccat, si non studeat. Et sicut peccaret graviter Professor publicus, qui horis solitis scholas

non ingrederetur , ita & graviter peccant scholastici , qui horis solitis scholas non frequentant , & pro viribus non student. Secunda ratio. Ille peccat , qui non obsequitur parentibus ; quia agit contra illud præceptum decalogi. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Exod 20 Atqui ille , qui neglijit studium , non obsequitur parentibus ; quia isti nihil tam rigidè præcipiunt , quam studium. Ergo graviter peccat scholasticus , qui non studet. Et sicut longævus ex divino promisso futurus est ille , qui studendo parentibus morem gerit , ita certò puniendus est , vel in hoc sæculo , vel in futuro , qui contra vetitum parentum negligit studium. Tertia ratio. Ille haud dubiè peccat , qui alterius bona temporalia , contra rationalem voluntatem Domini injustè dilapidat : agit enim contra illud Decalogi. *Non furaberis.* Atqui scholastici , negligentes studium , male insununt bona familias , contra rationalem voluntatem , tum patris , tum matris , tum fratribus , tum sororum. Ergo gravissimè peccant scholastici qui non student , sed præcipue hi , qui in longinquis Academiis magnis impensis nutriuntur , & sicut non excusantur à restitutione , nisi facta fuerit condonatio , hi qui parentum bona diripiunt : ut diximus ubi de restitutione ; ita nec omnino à restitutione excusandi sunt hi , qui tempore studiorum bona paterna consumperunt , popinas aut lusus , magis quam Academias frequentantes. Quarta ratio. Ille haud dubiè peccat , qui propria voluntate sese exponit periculo damnationis : juxta illud. *Qui amat periculum ,*

peribit in illo. Atqui juvenes , qui negligunt omnino studium eo tempore , quo tenentur illi vacare , exponunt se periculo damnationis. Ergo peccant. Quod autem exponant se huic periculo , experientia quotidiana innocescit : quippe cernimus eos , licet indoctos , gradus tamen in Academiis consequi : hinc fit , quod gradibus illis insigniti , munera publica obeunt ; Beneficia Ecclesiastica suscipiunt ; & postea regimine animarum , licet ignari Sacerdotes , onerantur ; curam corporum attentant , licet impeniti medici ; de bonis temporalibus judicant , licet inexuditi Magistratus : atque ideo in statu peccandi semper vivunt , & in eo infeliciter moriuntur.

Consectaria bujns Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant graviter adolescentes , qui vel ex pigritia , vel ex fastidio erga litteras præconcepto , dies integros , hebdomadas , menses , imò aliquando annos transigunt , sine studio , remittentes in aliam ætatem occupationem studiorum. Ut enim ait optimè Cyprianus . lib. de 12. abus. *Sicut fructus non invenitur in arbore , in qua flos prius non apparuerit ; sic & in Senectute honorem legitimum consequi non poterit , qui in adolescentiâ disciplina alicujus exercitatione non laboraverit.* Et Hugo . lib. 3. De didascalicon hæc subjungit. Tria sunt , quæ præcipue studiis legentium abesse solent : negligentia , imprudentia , fortuna. Negligentia est , quando ea , quæ discenda sunt , vel prorsus prætermittimus , vel minus studiosè discimus. Impru-

dentia est , quando congruum ordinem in his , quæ disimus , non servamus . Fortuna in eveniu casum Quando vel paupertate , vel infirmitate , vel doctorum raritate à proposito nostro retrahimur De negligentia lector est admonendus ; de imprudentia instruendus ; de fortuna adjuvandus . Ergo supponit ille Doctor eum peccare , qui suâ culpâ à studio , ad quod tenetur , se retrahit .

CONSECTARIUM II. Gravius peccant illi scolaстиci , qui non soli studium negligunt , sed etiam alios à studendo retrahunt : similes in hoc Pharisæis , quos ita Christus arguit . Math . 23 . v . 13 . *Væ autem vobis , Scribæ & Pharisæi , hypocritæ : quia clauditis regnum cælorum ante homines ; vos enim non intratis , nec introeuntes finitis intrare .*

CONSECT . III. Gravius adhuc peccant scholaстиci , qui tempus studio destinatum in lusibus & commissationibus consumunt , & pecunias ad studiorum progressum , à parentibus magno sudore comparatas , foyendis vitiis impendunt : ea enim dishonestà vivendatione affligunt parentes , cohæredibus fratribus damnum temporale inferunt , & condiculis scandalum pariunt . Affliguntur parentes ; quippe filius sapiens lætitiat patrem ; filius vero stultus mæstria est matris suæ proverb . 10 . v . 1 . Damnum infertur cohæredibus ; quia postquam depravatus ille adolescens dissipavit substantiam suam non studendo , sed vivendo luxuriose iterum venit ad patrem non pœnitendo sed insultando dicens : *da mihi portionem substantiæ quæ me contingit .* Luc . 15 . v . 12 . Ecce geminam in hereditate portionem exces-

quet. Demum scandalum aliis generat; nam adolescenti scolastico in persona Titi dicitur: *nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* i. ad Titum cap. 4. v. 12. Tanti mali vitandi causa hanc edidit legem academia Parisiensis. *Ductores idem similiter dicendum de discipulis. Ductores ergo & scholastici, morum integritate, virtute probitate, & exemplo ceteris præluceant, ut suæ professionis expectationem sustineant.* art. 38.

ARTICULUS III.

Quid Magistris publicis debeant adolescentes.

PROPOSITIO unica. Adolescentes, qui Academias frequentant, debent Magistros publicos assidue audire, & sanæ eorum Doctrinæ humiliter acquiescere.

Probatur 1^o. Scripturâ. Nihil est, ad quod scriptura frequentius hortetur adolescentes, quam ut Magistros audiant, eisque acquiescent. *Audi*, inquit Salomon, *Consilium, & suscipe disciplinam*, ut sis sapiens in novissimis tuis. Proverb. 19. v. 20. *Audi*: quippe audiens sapiens, sapientior erit. Proverb. 1. v. 5. à fortiori, ignarus. Deinde addit. *Suscipe*. *Sapiens enim corde preceptia suscipit, & studiis cœditur labiis*. Proverb. 10. v. 8. *Sapientiam enim & disciplinam qui abjicit, infelix est*. Sap. 3. v. 11.

2^o. Ex Epistolâ ad Demetriadem. Sic enim habet autor illius epistolæ. *Bonum est, in-*

quit, obedire majoribus, parere præfettis, & post regulas scripturarum, ritus suæ tramitem ab aliis addiscere; nec præceptore uiri pessimo, scilicet præsumptione iuâ. Ergo si adolescens velit in scientiis proficere, debet Magistrum attente audire, eiusque sanæ Doctrinæ acquiescere.

3º. Ratione. Scientia de viâ ordinariâ comparatur per instructionem, sicuti Doctrina eorum, quæ pertinent ad fidem. Atqui fides est ex auditu. Ergo & scientia acquiritur per auditum. Ergo sicut dum instruimur circa fidem, debemus Doctores fidei audire, eisque acquiescere, ita & dum instruimur circâ scientias. Ideo dicit D. Thom. Quod discipuli debent applicare animum documentis majorum, sollicitè, frequenter & reverenter. Sollicitè quidem, sine segnitie; frequenter, sine interruptione, reverenter, sine superbiâ.

Consecaria bujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant graviter adolescentes, qui ex pigritiâ non intersunt publicis Magistrorum lectionibus. Non enim aliter instrui possunt adolescentes, quam publicas scholas frequentando. Sic in Synagogâ à publicis scribis docebantur pueri, à Christo docti sunt Apostoli, & ab Apostolis primi Episcopi, & ab Episcopis antiqui Patres, & ab istis alii: deniū de omnibus eruditis antiquitatis Ecclesiasticæ autoribus dicere potest, quod de Dyonisio scribit Hieronymus. *Dyonisius, inquit, magistrum sibi in Grammatica elegit Donatum, in Rhetorica Vices*

torinum, in Theologiâ Gregorium Nazianzenum. Similiter Theophrastus sibi elegit Aristotelem, Aristoteles Platonem, Plato Socratem, Regina austri sapientissimum Salomonem. In illud Math. Magister, scimus, quia verax es. Hinc patet, quod non privata, sed publica lectio soleat juvenes eruditos efficere. Unde non immerito dixit Erasmus, cuius autoritas hac in re non est exigua; quippe qui toto tempore vita in instruendis pueris occupatus est. Oportet, inquit, scholam esse, aut nullam, aut publicam. De pueris statim ac liberaliter instituendis.

CONSECTARIUM II. Peccant graviter adolescentes, qui ex superbia spernunt Magistrorum lectiones publicas, eisque acquiescere renuunt: ea enim superbiâ viam sibi ad scientiam occludunt. Ideo Salomon à Deo docilitatem petiit. *Dabis, inquit, servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum.* lib. 3. Reg. c. 3. v. 9. Ea superbiâ inflati infeliciter perierunt illusterrimi simulque doctissimi viri scilicet Tertullianus & Photius. Demum omnes quotquot fuerunt hæretici,

ARTICULUS IV.

Quid Scholastici veritati debeant?

PROPOSITIO unica. Scholastici ita debent ardenter veritatem amare; ut obices omnes à veritate removentes, longè abjiciant, & media omnia ad veritatem decudentia sedulò amplectantur.

Probatur 1^o. Scripturâ. Nihil est, quod

Deus magis diligit, quam veritatem. David enim Deum alloquens, sic habet. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Psal. 50. v. 8. Et rursus ait. *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus.* Psal. 83. v. 12. Nihil est pariter, quod magis à nobis velit Deus diligi, quam veritatem. *Veritatem tantum, inquit, & pacem diligite.* Zachar. 8. v. 19. Ideoque quos diligit, eos veritatis amatores efficit: quarè de Jerusalem dilecta à Deo, dicitur. *Vocabitur civitas veritatis.* Zachar. 8. v. 3. Et de Diabolo impiorum Principe non aliud opprobrium dicatur, quam istud. *In veritate non stetit.* Joan. 8. v. 44. Ergo nihil est, quod impensis homines debeant diligere, quam veritatem, & præcipue illi adolescentes, qui ex officio studio veritatis incumbunt.

2. Ex Aug. contra academicos. lib. 3. cap. 1. Ubi explicans munus studentium hæc habet. *Negotium nostrum non leve, aut superfluum, sed necessarium ac summum esse arbitror magnopere quarere veritatem & idem Aug. lib. de mendacio cap. 7. ita nos ad veritatem sectandam adhortatur. Ut autem, inquit, animus corporis, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est, ut eam non solum magis quam corpus, sed etiam magis quam seipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior & castior cum ejus potius immutabilitate quam sua mutabilitate perfruetur.*

3°. Ratione. Quemadmodum viator, iter ingressurus, principio de certa itineris metà cogitat, deinde declinatis deviis & remotis impedimentis ad propositum terminum, media itineris ordinat & dirigit; ita junior dis-

cipulus, ubi sibi metam studiorum præfixit, veritatem scilicet, eam semper inspiciat oportet, omnia impedimenta removeat, & media ad eam, recta & sine errore atque periculo ducentia eligat & usurpet.

Consecaria de obicibus à veritate removenibus.

C O N S E C T A R I U M I. Primus obex veritatis, qui ab adolescentibus vinci debet, est ignorantia, nobiscum nata, & quasi perpetuò repullulans: omnis quippe ignorantia defectus est, morbusque mentis, cui mederi bonum est, & perutile. Juxta illud scripturæ. *Ubi non est scientiâ animæ, non est bonum:* Proverb. 19. v. 2. Sed ignorantia eorum, quæ tenemur scire, nedum defectus est, sed etiam peccatum: quod excusationem non admittit. De quo ita Salomon Proverb. 17. v. 16. *Qui evitat discere, incidet in mala & Paulus. Si quis autem ignorat ignorabitur.* 1a. ad Corinth. 14. v. 27. & Bernatdus *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia: & quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem.*

Quandonam ignorantia sit culpabilis, vel inculpabilis, diximus in primo tomo.

C O N S E C T A R I U M II. Secundus obex veritatis percipiendæ sunt varia sensus, mentis, & cordis præjudicia, quibus singulis credere, quibus etiam singulis discredere pericolosum est, quæ tamen singula prudenti examine discutere & methodica dubitatione perpendere tutissimum est. Quippe, ut ait Aristoteles, scientia nihil aliud est quam solutio eorum, quæ

ante dubitata sunt. *Præjudicia sensuum* sunt præcipitata judicia ex sensuum impressionibus orta, quæ inconsultè proferimus, puta soleū non esse disco majorem, stellas facibus esse æquales, Antipodas verso capite incedere. Hæc infantes credidimus : hæc sine examine repudiare non possumus. *Præjudicia mentis* sunt præcipitata quædam judicia, quæ mens inconsulto profert de re non satis nota aut explorata, quibus, inquit Melchior canus de locis Theologicis libro nono cap. 7. *Incognita pro cognitis, incerta pro certis* habemus, ut illi qui divi Thomæ Scotique opinione vel indiscussas amplectuntur, proque his non aliter pugnant ac pro aris ac foci. *Præjudicia cordis* sunt judicia, quæ inconsulto proferimus attracti non viribus veritatis sed illecebris cupiditatis, quibusque assentimur vel affectu partium, vel utilitatis spe, vel amicorum gratia, vel necessitudinis aut societatis vinculo : pro ut enim quisque est affectus ita judicat. *Præjudicia fidei*, sunt judicia quæ proferimus consequenter ad revelationem à Deo traditam & nobis ab Ecclesia propositam. *Præjudiciis sensus mentis & cordis* medemur, si singula prudenter & cum subjectione ad fidem examinemus; ita ut in illo examine sensus emendetur per intellectum & intellectus per fidem. *Præjudicia fidei* nefas est examinare, quæ sunt à Deo revelante, qui non potest falli nec fallere : non potest falli, quia est infinitè sciens; non potest fallere, quia est infinitè bonus, & quia nobis communicantur ab Ecclesia proponente quæ est infallibilis ut potè columna fidei & firmamentum veritatis ; & contra præjudicia

fidei non ratiocinari opus est perfectissimæ rationis. Præjudicia sensus mentis & cordis examinare prudentis est; quippe qui sæpe illis præjudiciis fallimur: sed ista methodo in illo examine procedendum. Sensus humanus ut potè fallax debet emendari per intellectum directum per fidem, & intellectus humanus debet emendari per fidem propositam ab Ecclesia quæ est infallibilis.

Sic haberi debent ut certa, quæ sensus proferunt, si talia judicentur per intellectum fide instructum, quæ vero iidem sensus proferunt debent haberi ut falsa, si talia rejiciat intellectus instructus per fidem, v. g. Ut vera debemus admittere res fidei, quas auditu percipimus, quas in scripturis legimus, puta quod Deut sit unus in essentia, trinus in personis, quippe eam sensuum perceptionem fides approbat. E contra substantiam panis esse in Eucharistia, licet sensus singuli videantur proclamate ut falsum, debemus repudiate; quia eam sensuum relationem Ecclesia rejicit.

Sic haberi debent ut vera ea mentis & cordis præjudicia, quæ à fide approbantur, falsa vero singula, quæ à fide rejiciuntur. Sic vera sunt ista præjudicia: quidquid movetur, ab alio movetur. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c. Ea enim ut vera fides approbat cum eis uti possimus ad confirmandas Christianæ religionis veritates sed restringenda sunt omnia Philosophorum præjudicia juxta regulas fidei, v. g. *Ex nihilo nihil fit: verum axioma, virtute creata; quia agens creatum semper supponit materiam: falsum axioma*

axioma, virtute divina; quia Deus ex nihilo produxit mundum. *A privatione ad habitum non datur regressus*: verum axioma, virtute creata: quia naturaliter homo mortuus non resurget, nec homo totaliter privatus potentia vitali, v. g. visu, auditu, eam recuperat: falsum axioma, virtute divina, quia omnes debemus resurgere & Christus ex his visum reddidit. *Accidentis est inherere subjecto*: verum axioma, naturaliter, falsum, supernaturaliter ut patet ex accidentibus Eucharisticis. *Omnis substantia rationalis est per se subsistens*: verum axioma, de via ordinaria: falsum axioma, de via extraordinaria ut patet ex Christo qui non subsistit per substantiam humanam sed divinam. *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*: verum axioma, in rebus finitis in quibus nihil impedit identitatem: falsum, in rebus infinitis ut patet ex tribus personis Trinitatis, quæ sunt idem cum essentia, nec tamen sunt idem inter se; quia oppositio relativa impedit identitatem.

Sic cum subordinatione ad fidem examinanda sunt omnia quæ ad Religionem possunt vel proximè vel remotè pertinere, & ut falsa pronuntianda sunt quæ illuminatae fidei videntur contraria ut jubet Concilium Lateranense sub Leone 10. Imo optandum esset ut res purè Philosophicas cum subjectione ad fidem examinarent omnes Catholici. Numquid melius esset dicere cum Scriptura quod sol oritur & occidit, girat per Meridiem. & terra in eternum stat, quam proferre cum Catheresio quod terra movetur, sol stat immobilis? numquid melius esset dicere quod acci-

dentia panis manent in Eucharistia sine subiecto, ut dicit Concilium Constantiense, & Canit Ecclesia in Officio Corporis Christi quā dicere cum quibusdam Philosophis quod species Eucharisticæ sunt sensationes nostræ à Deo productæ aut meræ apparentiæ. Cur saltem donec affulgeat aliqua demonstratio quæ antiquum modum illūm loquendi falsum demonstraret modum loquendi à Theologis usurpatum non sectabimur aut saltem cur fideli humiliter inhærentes non pronunciabimus res fidei esse certissimas, dogmata vero Philosophica incerta esse & dubia & si quid in nostris cognitionibus sit emendandum, ut re vera est, emendandam esse Philosophiam per fidem & non fidem per Philosophiam, satiusque esse nos loqui cum parvulis Christo dilectis, quācum superbis Philosophis: meminisse enim oportet nos esse Christianos potiusquam Philosophos, fideles potius quam superbe ratiocinantes.

C O N S E C T A R I U M III. Tertius obex veritatis percipiendæ est malè sana disputandi prurigo quā fit ut res etiam evidentissimas, vel certissimas in controversiam deducamus. Noverat olim antiquus Philosophus motum localem, disputare voluit circa naturam motus, disputando eò devenit ut motum negaverit. Alter Philosophus contentionis amans in aperta luce ambulans de ea controversiam instituit & in fine controversiæ lucem non esse lucidam conclusit. Probè conscius Protagoras Deum existere disputationem circa Dei existentiam instituit, & Dei existentiom negavit. Ni-
mium circa Dei providentiam discutere voluit

Epicurus enim nimirum controversis delapsus ut mentem ejus dubiam efficerit an aliquis esset hujusce mundi arbiter;num sydera incerto cursu volverentur. In quo & quam periculosos errores Christianos adegit insinabile illud disputandi ca hoc estes. Alii negarunt distinctionem personarum ut Sabellius: alii consubstantialitatem verbi cum patre ut Arius. Alii consubstantialitatem Spiritus Sancti cum Patre & Filio ut Macedonius. Alii duas in Christo personas ad miserunt ut Nestorius. Alii duas in Christo naturas negarunt ut Eutiches. Alii negarunt necessitatem gratiae ut Pelagiani. Alii libertatem arbitrii ut Calvinistæ. Demum quot in Ecclesiam irrepererunt haereses. Haec singulæ ab stulta disputandi gloria procederunt. Quo circa disputationes in scholis permittendæ sunt, imo præscribendæ, sed cum certis regulis.

Circa res claras & evidentes raro disputent nisi animi gratia ut dicunt, scilicet ut excitetur vigor animi saepe torpens & alacriores fiant ad studendum adolescentes & ut eorum mentibus altius infigantur quæ à Magistris accepta sunt. Numquam vero disputetur circa res evidentes, vel ut foveatur superbia vel ut nutriatur pertinacia.

Circa res fidei numquam disputetur nisi cum subjectione ad fidem & ut solutione difficultatum firmius stabiliatur veritas per fidem proposita.

Circa res incertas & non dum plane cognitas disputetur ut clarius pateant. Modo sint utiles vel ad animæ sanctitatem vel ad corporis sanitatem, vel ad humanæ vitæ commoditatem. Cætera omnia scire stultus labor &

inutilis. Contemplemur per anatomiam humani corporis structuram, discamus remedia tutando corpori necessaria. penetremus rationes quibus animæ nostræ immortalitas, Dei existentia, Religio naturalis & revelata demonstrantur. Sciamus prima artium mechanicarum elementa sine quibus stare nequit commodè hominum vita. Reliqua despiciamus. Ignoremus an alter mundus sit possibilis, an sol vel terra moveatur, an Deus possit inducere vacuum, &c. Et alià id genus, quæ ad nihil inserviunt.

Consecaria de mediis eligendis ad veritatem affequendam.

CONSEC. I. Primum medium ad veritatem affequendam est electio optimi magistri; discipulo enim studenti dici potest, quod dixit Tobias filio suo in civitatem Medorum profecturo, sed perge nunc, inquit, & inquire ubi aliquem fidelem virum qui eat tecum Tobiae s. v. 4. ut enim optimè ait Melchior Canus de locis Theologicis lib. 9. cap. 7. præclarè, inquit, autem cum eo agetur cui preceptor conigerit & eruditus & pius: qui cum certa ab incertis separet tum vanis questio-nibus declinatis utiles & necessarias seligat, doceatque discipulos esse quandam doctam, ut ita dicam, ignorantiam, sapientiusque esse quædam nescire quam scire. Cujus autem generis puto ego esse omnes questiones quæ nec ad Religionem nec ad corporis sanitatem nec ad vitæ commoditatem referri possunt.

Consecarium II. Alterum me-

dium ad veritatem assequendam est librorum selectio quam non debet adolescens ex se ipso attentare sed ab crudito simul & pio magistro accipere. De qua selectione librorum nos aliquid supra prælibavimus; nollem enim adolescentem amplam congregare Bibliothecam sed selectam.

C O N S E C T A R I U M III. Tertiū medium veritatis assequendæ est librorum quos sclegimus prudens quædam discretio, qua sciamus quid in illis libris selectis debeamus inquirere Sic v. g. à prophanis auctoribus expectare debemus non veritatem sed elocutionem ; à sacris vero veritatem non elocutionem : illi quomodo loquendum sit edocent ; isti quid sentiendum sit demonstrant. Illi mendacium sæpius magnificis & splendidis induunt vestibus ; isti vero veritatem nudam proponunt. Artem ergo loquendi à prophanis addiscas ; artem vivendi à sacris auctoribus.

C O N S E C T A R I U M IV. Quartum medium ad veritatem assequendam est in libris omnibus à puro homine compositis inutilia ab utilibus ressecare , & quasi prudenti Circumcisione quod vanum est præscindere , quod utile seponere. Sic de Philosophis prophanis loquitur Gregorius Nicenus in mystica enarratione vitæ Moïsis : *habet Philosophia sacularis partus humanaque disciplina carnale quoddam præputium , quo circumcisio quod relinquitur israeliticæ videtur esse nobilitatis : ut exempli causa immortalem esse animam Philosophi peribebent : id autem pius est. De corporibus in corpora transire volunt & de rationali natura etiam ra-*

tionis expertem transilire nonnulli afferunt, hæc
quasi præputium circumcidenda sunt & procul
omnino abjicienda. Deum esse non negant crea-
toremque omnium à quo cuncta dependent vere
asseverant, ac rationibus, quantum fieri potest
demonstrant; sed creatori, velut egenis artifici
materiam supponunt multaque alia ejusmodi
sunt veris excogitata rationibus, sed absurdis ac
falsis appositionibus maculata; que si tollemus
propitius nobis Dei Angelus fiet. Hoc mira crudi-
tione præstidit D. Thomas in summa con-
tra gentes. De libris paganorum ita habet
Aug. lib. 2. de Doc. Christ. Cap. 40. sicut
Israëlitæ idola & vasa aurea & argentea
Ægiptiorum auferunt & ad justos & Deo pla-
cenies usus conferunt, Sic Christiani Philoso-
phiam & discip'inas liberales, quæ in Eihnicor-
um libris extant, non eo prorsus relinquere de-
bent quod Eihni ei impie abutebantur sed
ad justum prædicandi Evangelii usum transferre
debent. Circa quod prudenter admonet Hiero-
nymus amatorem profanæ Philosophiæ aut
eloquentiæ, ut si adamaverit captivam mulie-
rem id est sapientiam sacerularem, decalvet eam &
illecebras crinum atque ornamenta verborum
cum emortnis unguibus amputet. Multos tunc
fœius captiva dat & de Moabitide fiet Is-
raëlijs.

Qualis debeat esse verus Sanctorum Pa-
trum usus non poteris tutius addiscere quam
à R. P. Annato in suo ad Theologiam ap-
paratu, ubi singulorum Patrum opera percur-
rit, & quâ methodo & cautione legenda sit
edocet, opus immensæ eruditioñis & maxi-
mæ utilitatis. Interim has ab ipso regulas ac-

cipè 1°. Observa quo saculo scripsit auctor quem legis, quo sine heresios criminè docere potuit, quod nondum damnatum erat ab Ecclesia. Sic Papias fabulam Milleniorum, Cyprianus errorem rebaptizantium, Augustinus animam fieri ex traduce & Angelos esse corporeos sine heresios criminè docuerunt. 2°. Observa ætatem sribentis an scilicet juvenis vel senex scripsit; aliter enim sapit Augustinus juvenis, aliter senex, aliter ante conversionem, aliter post conversionem. Item aliter D. Thomas in summa, in quæstionibus disputatis & in libris contra gentes, aliter dum juvenis sribet in magistrum sententiarum. 3°. Servanda sribentis occasio, quæ scriptorem non patitur in medio consistere sed inopinum in alteram partem inclinat. Sic Augustinus dum sribit contra Manichæos negantes libertatem, ita liberum effert arbitrium ut videatur gratiæ detrahere; & dum sribit contra Pelagianos negantes gratiæ necessitatem, ita effert gratiam ut non videatur satis ad liberum arbitrium attendere, quamvis tamen utrumque & agnoscat & tueatur. 4°. Observa quomodo loquatur Sanctus cuius scripta legis, an concionando abreptus eloquentiæ æstu, an sribendo & ex professo rem agitando; in priori siquidem casu hyperbole patitur eloquentia, minime in secundo. Sic non satis exactè de gratia loquitur Chrisostomus inter concionandum, ut notat Augustinus nimirumque tribuit libero arbitrio, ac non sic Augustinus sribens ex Professo contra Pelagianos. 5°. Demum si quæ dura, si quæ obscura, imo si quæ verbo tenus erronæ

dixerunt Sancti Patres non statim culpandi sed statim ea singula benigne interpretanda sunt & salva quæ eis debetur reverentia veritati est inherendum.

Quis & qualis esse debeat Theologorum Scolasticorum usus paucis accipe ab Alphonso Salmerone Toletano commentario in Evangelicam historiam prolog. 9. ubi sic habet *cum*, inquit, *hoc genus Theologiae Scholastice commendo, nolim ut quispiam in illis studiis consenescat sed moderatum ad certum tempus illis disputationibus impendat, ut ad metiora & suaviora sacrarum litterarum studia tempestivè perveniat.* Quidam enim ita immodice illis studiis hærent, ut ad meditandas scripturas & tardi accedant & aridi prorsus & jejuni inveniantur. Scholasticam ego in magno semper pretio habui, sed qualem, non eam quæ inutilibus quæstionibus occupatur; sed eam, quæ est recta tractandarum rerum methodus, quæ rectè norit circa quamcumque rem definire, dividere, argumentari, & ordinare. Quæ in Philosophia, in jure &c. tradat generalia principia ex quibus educat conclusiones; quæ in Theologia proponat, Locos Theologicos scripturam scilicet traditionem, Concilia, Patres, &c. Quæ dogmata fidei item proponat & ex his methodice suas educat conclusiones, quæ rem propositam captui audientium reddat faciliorem, hanc ego Scholasticam comparo cum notitia characterum vocalium & consonantium, cui si infantem non occupaveris numquam noveris legere; ita si Scholasticam discipulus non dicterit, nihil methodicè sciens: sed uti non semper infantem detines in cognoscendis litt-

rarum caracteribus, in uniendis vocalibus & consonantibus: sed ubi id semel assecutus est transfers illum ad legendos quoscumque libros. Ita ubi semel Scholasticam probe norunt discipuli, transferendi sunt ad primas omnium scientiarum scripturam scilicet traditionem, Concilia, Patres.

CONSECTARIUM V. In studio Theologiae discernenda sunt ea, quæ ad fidem, ad mores, ad disciplinam & ad quæstiones mere Scholasticas pertinere possunt, quæ ad fidem quæ ad mores pertinent improbo labore addiscenda sunt, ne inermes & imparati ab hereticis inveniamur & opprimamur, sed accincti semper ad præliandum præliâ Domini, & ad reddendam rationem de ea quæ in nobis est spe. Quæ vero ad disciplinam tam antiquam quam præsentem expectant, non segniter examinanda sunt sed studiosè addiscenda ut antiquam æmulantes disciplinam præsentem tanien non contemnamus, quæ vero ad mera Scholasticorum Theologorum placita pertinent ita addiscamus, ut parum iis addiscendis immoremur. Istud præcipue observemus ut illa opinionum diversitas nullum inter nos schisma introducat: semper enim apud Christianos vigere debet ista lex: in necessariis unitas; in dubiis libertas; in omnibus charitas. Porro si velis discernere quæstiones de fide à quæstionibus Scholasticis ut in prioribus multum tenpus insumas, in posterioribus exiguum perdas, lege Holdennum de analysi fidei,

SECTIO III.

*Quo pacto artes liberales eum, quem merentur,
splendorem consequi possent.*

Sunt multi eruditii Professores qui totis viribus instituendis alumnis incumbunt, sunt & discipuli qui totis conatibus student; attamen ut ipsimet dolent Professores è Collegiis exeunt juvenes & tenui litteraturā instructi & ad res tum Domesticas tum publicas omnino ferē inhabiles. Qui fit ut de re tam frugifera Collegiis scilicet & academiis, tam exiguum percipiatur fructus, hujus mali causam præcipuam arbitratur Ludovicus Vivez in suo de disciplinis tradendis libro, quod non satis à magnatibus Republicæ tum Ecclesiasticæ tum civilis æstimentur artes liberales. Ædificia academiarum vulgo obscura nullisque ornamentis decorata carceris potius quam habitaculi speciem præferunt. Hæc oculos juvenum male feriunt & litteratum fastidium quoddam ingenerant Professores publici quasi minus politi sæpius non ut pat est honorantur, & quod pejus est etiam coram studentibus ridentur, sybillantur Hinc sensim in animos studentium irrepit quidam erga Magistros contemptus, qui in dies crescit ubi vident juvenes se tanto pluris æstimari quanto magis à moribus Collegii recesserint. Exercitationes Academiarum deserruntur quasi puerilia exercitia quæ graves magistratus, nobiles cives, viros consulares dedeceant. Id ubi advertunt pueri, spernunt

studiorum honorem, aliis inhiant quæ ambitionem & popularem plausum nutritre possint tædetque eos Academias consecari, languentque donec pulverem scholarum excusserint. Hæc vera causa, cur tam exiguus ex Academiis percipiatur fructus, quandiu sine decoro & ornamento erunt Academizæ, sine honore Professores, sine publica approbatione Scholarum exercitia, tandiu languebit litteratum studium, frigescet docentium ardor, & liberales artes in cultæ & im politæ permanebunt. Qui tantis malis mederi voluerit, legat quæ ea de re scripsit Ludovicus Vivez & Dominus de Fleuri, ille in suo libello de disciplinis reparandis, iste in suo tractatu *du choix des études.*

CAPUT I.

De his, qui artibus mechanicis occupantur.

Artes liberales sunt illæ, quæ magis mente, quam corpore exercentur; tales sunt scientiæ, isto carmine contentæ. *Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra.* Artes mechanicæ sunt illæ, quæ manum, magis quam mentem occupatam detinent; & isto carmine concluduntur. *Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.* Circa artes mechanicas duo præstanta incumbunt morali Theologo. Primum quidem ostendendum, eas artes Christianæ sacerdoti nihil habere oppositum, immo ad salutem consequendam esse aptissimas. Alterum

verò , ab exercitio illatum artium remoyen-
dam esse omnem fraudem. idè sit.

ARTICULUS I.

*Quantum ad salutem æternam conducat artium
mechanicarum exercitium.*

PROPOSITIO unica. Quamvis artes liberales pluris aestimantur apud homines quam mechanicæ : tamen mechanicæ sunt maximè utiles , & earum exercitium ad salutem consequendam aptissimum est.

Probatut. 1º. Scripturā. Ecclesiasticus cap. 38. v. 25. & sequentibus , artes liberales cùm mechanicis comparat , illis quidem honorem apud homines concedit , istis verò utilitatem & majorem ad salutem æternam comparandam facilitatem adscribit : sic enim habet. *Sapientia scribæ* , quæ apud nos ars liberalis vocatur , *in tempore vacuitatis* , id est , non nisi in otio exercetur : & qui minoratur actu , id est , qui actu exteriori & corporali abstinet in illo otio : sapientiam percipiet , quâ sapientia replebitur. Postea subjungit. *Qui tenet aratum* , & qui gloriatur in jaculo , stimuloque boves agitat , & conversatur in operibus eorum , & enarratio ejus in filiis taurorum , cor suum dabit ad versandos sulcos , & vigilia ejus in sagina vaccarum. Sic omnis Faber & Archizelitus Sic Faber Ferrarius Sic Figulus sedens ad opus suum Omnes hi in manibus suis speraverunt , & unusquisque in arte sua sapiens est , & sine his omnibus non edificatur civitas. Tamen hi omnes artifices mechanici

mechanici super sellam judicis non sedebunt Sed creaturam ævi confirmabunt : ET DEPRECATIO illorum in operatione artis, id est , inter operandum preces effundent , quod minus commode fit ab eo , qui artibus liberalibus vacat , ob majorem mentis contentionem : accommodantes animam suam , eam scilicet ad Deum elevantes : Et conquirentes in lege altissimi : meditantes scilicet legem Dei.

2º. Ex Patribus. Sancti Patres labore corporis , & proinde artes mechanicas multò magis ad pietatem inservire profitentur, quam laborem mentis , aut artes liberales. Sic enim habet August. lib. de opere Monachorum Cap. 17. *Canticum divinum cantare etiam manibus operantes , facilè possunt , & labore tamquam divino celestis mate consolari. An ignoratis opifex , quibus vanitatibus , & plerumque turpitudinibus Theatricarum fabularum dent corda & ligas suas , quum manus ab opere non discedant ? Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari , & psallere nomini Domini altissimi : ita sanè ut ad ea dicenda , quæ memoriter recolat , habeat seposita tempora. Et autor Epist. ad Demetriadem , nec idcirco , inquit , ab opere cessandum est , quia Deus propitio nulla re indiges ; sed ideo cum omnibus laborandum. Et ut ostendat per laborem corporalem mentem ad Deum alevati , hæc addit , ut per occasionem operis , inquit , nihil aliud cogites , nisi quod ad Domini pertinet servitutem. Et Hyeronimus in Cap. 6. Mith. super istud : ne sollicitis , ait : Labor exercendus est , solli-*

citudo tollenda. Theophilactus in 1^om. Epist. ad Theffal. Cap. 4. cum Paulus, ait: *operamini manibus vestris, non de spirituali exercitatione hoc dixit, sed corporali.* Et Chrysost. super eumdem locum ait: *non sollicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis.* Ergo censem Sancti Patres artes mechanicas multò magis ad pietatem inservire, quam laborem mentis sive artes liberales.

3º. Ratione. Ea est mentis humanæ natura ut dum occupatur Artibus liberalibus v. g. studio vel Philosophiæ vel Rhetorices &c. siar minus apta ad actus fidei, spei, charitatis & Religionis eo quod dum uni studio acerius intendit ab alio se longius segregat & contra duni corpus occupatur artibus mechanicis mens ad divina fit aptior. Hoc quilibet in se ipso experitur magisque eget attentio-ne quam explicatione: ergo exercitium artium mechanicarum nihil habet vitii si sancte exerceatur.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. De cultura terræ & pecorum cura. Cultura terræ & pecorum cura nihil habet nisi sanctum, si cum pietate exerceatur. Adam innocens positus est in Paradiso, ut operaretur & custodiret illum. Genes. 2. v. 15, Post peccatum, emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Genes. 3. v. 23: Abel est Pastor, Caïn agricola; sed iste ab hoc sancto exercitio recessit injustus in ira

sua, per iram homicidii fraterni deperiit. Sapient. X. v. 3. Noë agris colendis post diluvium occupatus est. Cœpit, inquit textus sacer, Noë vir agricola exercere terram, & planiavit vineam. Genes. g. v. 20. Abraham & Lot rebus pastoritiis occupati sunt, gregibus uterque abundabat, nec poterat eos capere terra, , ut habitarent simul. Genes. 13. v. 6. Esaï victum venatione quærens, rejicitur, Jacob pascens oves socii sui, Deo gratus efficitur. Genes. 30. Filii Jacob coram Pharaone artem pastoritiam non occultant, sed de ea potius gloriantur. Pastores, inquiunt, ovium sumus, servi tui, & nos & Patres nostri. Genes. 47. v. 3. Cum Gedeon excuteret atque purgaret frumenta in torculari; ut fugeret Midian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime; eumque elegit ad bellandum contra Midian. Judic. 6. v. 11. Saül jam Rex electus, veniebat sequens baves de agro, cum, irruente in ipsum spiritu Domini, bellum indixit Ammonitis. I. Reg. 11. v. 5. Pastor erat ovium David, cum unctus est in Regem à Samuële: sic enim respondit ei Isaï. Adhuc parvulus est, & pascit oves. I. Reg 16. v. 11. Terram manibus suis exercebant primi Christiani, præcipue tot millia Eremitarum, qui, teste Augustino, terram incolebant, quodque pium exercitium nostris temporibus viget apud Monachos Sanctæ Virginis de Trappa. Ergo illud exercitium nihil habet; quod à sanctitate revocet.

CONSECRARUM II. De bellorum exercitio. Bellorum exercitium nihil habet nisi
Eeij

sanctum, si cum pietate exerceatur. Bellum enim exercuerunt sanctissimi viri, Abraham ad liberandum Ioth, Josué ad introducendos Judæos in Palestinam, Saül nondum ejectus ad puniendos Amalecitas, David ad expellendos Jebusæos, Machabæi ad tuendas paternas leges, imò Christiani sub imperatoribus paganis armorum exercitium non refugiebant; nostris etiàm temporibus Religiosi ordinis Melitensis sanctè & utiliter contra Turcarum impetus Christianam Rempùblicam defendunt. Ergo bellorum exercitium nihil habet nisi sanctum si cum pietate exerceatur.

C O N S E C T A R I U M III. De negotiacione.
 Negotiatio sive fiat per navigationem, sive per quamcumque mercium transvectionem sive per societatem, nihil habet viii, si cum æquitate conjungatur: videmus enim Israëlitas, qui emerunt Joseph, non fuisse in scripturâ vituperatos: videmus Salomonem habuisse negotiatores, qui ibant & emebant pretio. 2. Patalipom 1. v. 7. Et apud Isaïam 23. v. 8. Tyrii negotiatores, principes vocantur & institores incliti, & si puniantur, puniuntur non ob negotiationem, sed ob scelerâ, & in pœnam subtrahuntur à Tyro negotiatores, quod indicat negotiationem utili-
kem esse, & non perniciosam

C O N S E C T A R I U M IV. De Medicina, Chirurgia, & Pharmacia. Exercitium circa morbos curandos nihil habet nisi Sanctum, si cum pietate exerceatur: eas enim artes in summo habendas honore præcipit scriptura. **Honora**, inquit, **Medicum propter necessitatem:** etenim illum creavit altissimus; à Deo enim

omnis medela, & à Rege accipiet donationem Altissimus de terra creavit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Eccles. 38. v. 1. & sequentibus. Quomodo hūic arti vacare possint etiam Sacerdotes, diximus ubi de censuris.

C O N S E C T A R I U M V. De arte Fabrili, Textoria, &c. Prædictæ artes nihil habent nisi Sanctum, si ea', quā oportet pietate, exerceantur: eas enim artes dedit Dominus posteris Adæ; imò testatur Josephus eas scriptas post diluvium in duabus columnis, quarum una erat lapidea, altera lateritia, ut sic perennius in hominum memoria conservarentur: sed quidquid sit de facto illo historico, testatur scriptura, quod sine illis artibus nec ædificarentur civitates, nec urbes habitatoribus repletentur. Visâ ergo artium mechanicarum utilitate, qua sanctitatem exercendæ sint videamus.

A R T I C U L U S II.

Quo pacto exercendæ sint artes mechanicæ, ut sanctitati anime prodesse possint.

Quo pacto labor corporalis sanctè exercendus sit, diximus initio hujuscē temi: ideo hic solū explicabimus, quæ fraudes exulare debeant ab exercitio artis mechanicæ.

P R O P O S I T I O unica. Quicumque artibus mechanicis vacat, nihil in eo exercitio debet admittere, quod damnum proximo causare possit.

Ptobatur 1º. Scripturā. Ne quis supergre-
diatur neque circumveniat in negotio fratrem
suum. 1. Ad Thessal. 4. v. 6.

2º. Ex D. Thom. Quicumque facit contra de-
bitum justitiae, mortaliter peccat. 2. 2. q. 79. a.
1. in corp. Et juxta eundem Doctorem:
peccans contra justitiam tenetur ad restitu-
tionem.

3º. Ratione. Quicumque agit contra justi-
tiam commutativam, peccat & tenetur ad
restitutionem: atqui illi qui exercent artes
mechanicas cum damno proximi peccant con-
tra justitiam commutativam; quia ex contrac-
tu vel explicito, vel implicito quilibet arti-
fex mechanicus tenetur artem suam exercere
juxta regulas justitiae: ergo peccat & tenetur
ad restitutionem si damnum inferat proximo.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSEC. I. Qui vacant agrorum cul-
turæ, rebusque pastorii incumbunt, de-
bent maximè intendere, ne damnum aliquod
aliis inferant, ve ex malitia, vel ex negli-
gentia, sciantque se ad restitutionem teneri
totius domini illati: ut diximus ubi de resti-
tutione. Si lœserit quispiam. inquit scriptura,
agrum, vel vineam, & dimiserit jumentum
suum, ut depascatur aliena, quidquid optimum
habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni
estimatione restituat: si egressus ignis invenerit
spinæ, & comprehenderit accervos frugum, sive
flantes segetes in agris; reddet damnum, qui ig-
nem succederit. Exod. 22. v. 5. & 6. Ubi
zeus peccati & ad restitutionem obligatus,

declaratur agricola , & pastor , qui negligenteria , aut malitia damnum proximo intulit ; item & peccati reus est , & restitutioni obnoxius agricola & pastor , qui agit contra regulas artis : ut diximus ubi de restitutione.

C O N S E C . I I . Quicumque vacant armorum exercitio , graviter peccant , si damnum proximo intulerint , tenenturque ad restitutionem damni illati : sic enim milites alloquitur Joannes Baptista Luc . 3 . v . 14 . *Neminem concutiat , neque calumniam faciat :* & contenti estote stipendiis vestris . Itaque juxta D . Thomam , graviter peccant & ad restitutionem tenentur milites vel duces subalterni in sequentibus casibus . Primus est , cum non observant regulas militiae : de quibus ita D . Thom . 1 . 2 . q . 100 . a . 6 . in corp . In exercitu , inquit , qui ordinatur ad ducem , sicut ad finem , primum est , quod miles subdatur duci , & bujus contrarium est gravissimum : secundum verò ut aliis coordinateur . Inter ipsa autem , per quæ miles ordinatur adducem , primum occurrit , quod homo fideliter ei , id est duci , subdatur , nullam participationem cum inimicis habens : secundum autem , quod ei reverentiam exhibeat : tertium autem est , quod etiam famulatum impendat : majusque peccatum est in exercitu , si miles infideliter agens , cum hoste pactum habeat , quam si aliquam irreverentiam faciat duci : & hoc etiam gravius quam si in aliquo obsequio ducis deficiens inveniatur . Secundus est , cum nocent etiam hostibus contra Regis & ducis voluntatem ; quia , ut docet Aug . lib . 22 . contra faustum , Cap . 75 . Recte potest , inquit miles illo , id est principe , jubente ,

bellare; innocentem autem militem ostendit ordo serviendi. Ergo extra illum ordinem agit miles inusta, & proinde peccat, & tenetur ad restitutionem. Tertius casus, quando nocet civibus ejusdem Regni, vel ab eis aliquid aut suffurando, aut rapiendo, vel damnum inferendo: id enim vetat jus naturale & divinum, his verbis. *Non furaberis.* Et jus positivum, Regum Galliae: sic enim habent edicta Henrici tertii 1570. Art. 4. se contene-
ront les Soldats des Logis, qui leur seront bâllés, sans aller vivre au logis de leurs compagnons, ne souffrir que d'autres viennent loger en leur logis, à peine de répondre de toute la dépense, qui s'y fera, de laquelle l'Hôte sera cru à son serment. Et edictum Blesense art. 295. Nos gens de guerre payeront raisonnablement de gré à gré ce qu'ils prendront avec leurs Valets & chevaux, de tout ce qui leur sera nécessaire, tant en marchant par le pays, que sejournant, & résidant en leur garnison, sans aucune exaction, foule, ou oppression de notre peuple. Et spécia-
lité alloquens duces, sic habet edictum Blesense art. 108. Les passevolans soient punis de mort, & ceux, qui ont prêté ou déguisé leurs noms. Quod sit, cum duces, dum deficiunt milites, loco militum suorum servos aut alios milites constituunt. Et edictum Aut elianense art. 117. Défendons à tous Capitaines & autres de prendre les chevaux des Fermiers & Laboureurs, si ce n'est de leur vouloir, de gré à gré, en payant leurs journées, à peine de la hant.

C O N S E C T A R I U M III. *Quicumque vacans negotiacioni damnum causat proxim-*

mo graviter peccat & tinetur ad restitutionem; & sicuti nullibi debet magis abundare bona fides, quam in negotiatione, ita nullibi gravius peccatur, si fraus aut dolus interveniant. Ideo ait Ezechiel. 28. v. 16 *In multiudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua ini- quitate, & peccasti*, scilicet fraudes & dolos adhibens. Et v. 18. *In iniustitate negotia- tionis tuae polluisti sanctificationem tuam.*

CONSECTARIUM IV. *De Medicis, de Chirurgis, & Pharmacopolis.* Peccant graviter, & ad restitutionem tenentur, qui sanandis hominum morbis incumbunt, si damnum aliquod ægrotis inferant, vel ex inscitia vel ex temeraria præcipitatione, vel ex li- vore, vel ex avaritia, vel ex negligentia, &c. Ex his enim fontibus oriri solent tota- damna, quæ ægrotis inferuntur.

Contra inscitiam Medicorum ita scribit Ludovicus Vives. Loquamur, inquit, jam de Medecina, cui arti in omnium corpora, vi- ta ac necis potestas & jus sumendum est per- missum; nec ulli unquam vel Imperatori, vel Regi tantum in homines licuit: quo- circa & medicum ipsum navare diligentem operam omnes divi atque homines postulant, clamant, requirunt, ut prudentissime atque amantissime, quæ suæ sint & fidei, & potes- tati commissa tractet. Quanta & quam præ- sentanea pestis est, si huic potentiae adjun- gatur inscitia. Quid si inscitiae, quod ferè fit, arrogantia, & ex hac rabies oriatur, & pertinacia non cedendi. Itaque propter tam paratum discriminem maximis artis hujus auto- ribus placuit non videri dignum eum Medici

professione ac nomine , cui hæc non adessent omnia : natura , ingenium , institutio longa & diuturna , probitas morum , sedulitas , usus . Ingenio est opus diligenti , attento , conjectore optimo , prudenti , moderato , non ambitioso . non ostentatore , non pertinaci , quodque in sententiam nolit transire melius dicentis . Erit hujusmodi Medicus , si habuerit persuasum , nihil sibi debere esse priùs , aut charius vitâ & salute hominis , ut nec existimationem sui , aut quæstum anteponat ei , qui ad illius manum atque operam , tanquam ad azilum quoddam ex gravissimo periculo confugit . Id verò est boni viri & Christiani . Nam si quem per ignorantiam , aut pervicaciam inflexibilem occiderit , quomodo deinceps id damni sarciet ? Quantam & quam exactam est Deo redditurus rationem ? Si quid ab uno Theologo erratum sit , ab alio corrigitur : si à Juris-consulto erratur , succurritur æquitate judicis , restitutione in integrum , denique fit pecuniæ jactura . Quod verò à Medico erratur , quis corriget . Homini extincto quis afferet remedium ? Unde maximè miramur inveniri tam multos , qui adeò periculorum munus suscipere , ac profiteri non dubitent : sed nimis plerique eorum priùs in professionem inciderunt , quam intellegent , quantū id esset , quod susciperent . Nec propterea excusatur ; quia ut docet Divus Thom . 1. 2. q. 76. Omnes tenentur scire communiter ea , quæ spectant ad corum statum vel officium .

Contra præcipitatam juniorum Medicorum praxim ita insurgit idem autor Juvenes, inquit, atque adolescentes Medici solis scholæ spinis & captiunculis instructi, nullâ peritiâ herbarum, animantium, elementorum, denique naturæ hujus nullis experimentis & cognitione rerum adjuti, nullâ fulti prudentiâ, judicio & consilio perquam imbecillo admittuntur ad doctoratus honorem, & continuo emittuntur ex Academiâ in proxima oppida; & vicos, ad ponenda rudimenta artis, tanquam manus immutum carnificum: nec universales moverunt Canones, nec deductionem artis viderunt ad usum, nec ipsi ad opus moverunt manum: juvenes calidi & confidentes, omnia temeritati casuum commendant. Admoneri se non ferunt tyrones à veterani, quibus se adæquatos vident honore Doctoratus. Quod si seniores Medici admonitionibus molesti esse pergant, adolescentuli Medici eos aggrediuntur rixis, & tenaculis scholasticis; hinc clamore, & per vicaciâ asseverationis, convitiis, maledicentiâ, cogunt sibi cedere senes, moderatos, & pugnis hujusmodi desuetos; quos vicos effronti confidentiâ, importunitate & odio insectantur tyrones: hinc nata est superba juniorum Medicorum ostentatio, quæ veterem & vulgatam medendi viam fastidivit, novam insolitamque quæsivit, quæ admirationem excitaret, non sanitatem procuraret. Nec propterea excusat; quia juxta D. Thom. ibid. *quicumque negligit facere id, quod tenetur facere, peccat peccato omissionis.*

De Medicorum livore sic loquitur idem

autor. Cum aliqui , inquit , de quopiam morbo in commune consulunt , quā malignitate , quo livore id faciunt ; quanto fastidio & vultuositate accipiunt alienam sententiam ; quā autoritate ; atque asseveratione proferunt suam ; quā pertinaciā tuetur quisque . quod semel confirmavit aut etiam est elapsum , ne cessisse videatur : idque eō faciunt obstinatus , quo sunt imperitiores : videlicet non tam spectantium de se judicium veriti , si quid concedant , quam suæ ipsorum conscientiæ , cui satisfacere se non putant , nisi si omnino victoriam aliis fecerint dubiam , aut vñctores se , aut certè non aperiè vñctos : nam cedere appellant vinci. Hinc sequuntur detractiones , calumniæ &c. Quæ singula sunt peccata mortalia ; quia juxta D. Tom. *Detractio per se est peccatum mortale.*

De quæstuosa Medicorum avaritia ita loquitur idem autor. Quæstuosissima facta est ars Medecinæ ; Quid enim non largiatur homo liberatori suo ? An verò sit ullus tam insanus , qui in vitæ periculo pecuniæ parcat . Quid ergo de illis dicam , qui aviditate lucri morbos differtunt : quo nihil cogitari potest inhumanius : non privatim videntur isti admonendi , sed publica severitate puniendi , haud aliter quam convicti facinorum capitulum. Cur in eum animadvertisit , qui hominem liberum cecidit , istis verò impunè est morbos cum certo valetudinis exitio proferre ? De quo ita jus can. can. abſt dist. 50. Si Medicus , inquit , indulget periculis , hoc non est curare , sed si verum dicere volunt occidere & quando solum quæstum sectantur peccant ex prava

prava illa intentione. Si autem per improbitatem, inquit D. Thom. aliquid immoderat extorqueant peccant contra justitiam & proinde tenentur ad restitutionem illius quod injuste extorserunt. 2. 2. q. 71. a. 4. in corp.

De negligentia medicorum sic loquitur idem autor. Qui se in artem Medicinæ, in usum generis humani convertunt, ubi primum se publicis utilitatibus dedicarunt, non debent amplius ad alias artes, vel disciplinas divettere: est enim in hac unâ satis superque, quod agant, vel vitâ universâ, quantumlibet diuturnâ, ac longâ Sciarque Medicus, quidquid temporis hujus studio subtraxerit, tantum subripere ac futari sanitati suorum ægrotantium. Nihil ergo catius, aut potius habebit, quam humanum corpus. Quocirca experimenta prima quæ sunt plenissima periculi, non sumet in humano corpore; sed in re vili, nempè in multis animalibus. Nullam omittet studendi occasionem quâ fiat in arte peritior ut monet Hypocrates: *Ars longa vita brevis.* Sed juvat hic scribere jusjurandum Hypocratis, ut sciant Medici Christiani quâ religione Medicinam Paganus exercuerit; sic enim habet par... 4. ceterum quod ad ægros attinet sanandos, dixerat tam ipsis constituam pro facultate & iudicio meo commodam, omneque detrimentum & injuriam ab eis prohibebo. Neque vero ullius preces apud me adeo validæ fuerint, ut cuiquam venenum sim propinatus; neque etiam ad hanc rem consilium dabo. Similiter autem neque mulieri possum praefaciendo abortu dabo. Porro castè & sanctè

vitam & artem meam conservabo. in quascumque autem domos ingrediar, ob utilitatem ægrotantium intrabo : ab omnique iniustiæ voluntaria inferenda & corruptione , quam alia , tum præsertim operum venereo- rum , abstinebo : sive muliebria , sive virilia , liberorum hominum aut servorum corpora mihi contigerint curanda, quæcumque vero inter curandum video aut audiero , imo etiam ad medicandum non adhibitus iu communis hominum vita cognovero , ea siquidem efferte non oportuerit , tacebo & tamquam arcana apud me continebo. Hoc igitur jusjurandum mihi integrè servant & non confundenti , contingat & vita & arte feliciter frui & apud omnes homines in perpetuum gloriam meam celebrari ; transgredienti autem & pejeranti , his contraria eveniant.

C O N S E C T A R I U M V. De arte fabrili textrina & lanifica , &c. Quicumque artifices qui operantur vel circa saxa , vel circa ligna , vel circa metalla , vel circa lanam aut linum , &c. Peccant graviter si vel materiam vitiosam ministrant vel optimam materiam ministrantes , non eam elaborent secundum regulas artis ; quia in utroque casu damnum inferunt proximo. Quæ duo latissimè extenduntur nec sciti pollunt nisi omnes illæ attes percurrentur & omnes fraudes quibus utuntur injusti artifices aperiantur. Sic peccant & ad restitutionem tenentur qui hic subjiciuntur 1°. Architecti polliciti sub certo pretio dominm ædificare & omnia necessaria ad ædificium ministrare ; saxa , calces , ligna vitiosa adhibent , vel ædificium contra regu-

las artis extruunt. 2°. Faber ferrarius qui instrumenta, vel bellica, vel aratoria, vel artis navigatoriæ, aut ex vitiosa cudit materiâ, aut non secundum regulas artis. 3°. Sculptor, pictor, quorum alter in sculpenda statua, alter in pingenda imagine parum duraturam adhibent materiam, aut si duratutam eam non juxta regulas artis adornant. 4°. Omnes artifices circa linum vel lanam qui vel in panno, vel in tela materiam vitiosam adhibent, aut vel malitiâ, vel incuriâ alterari sînunt, &c.

Quomodo labore aliquo occupati debeant hi, qui suis redditibus vivunt, diximus initio hujus - ce tomij.

Varia hominum officia, quæ in hoc tomo descripsimus, exactè observarentur, si sanctè præfessent pastores, & si pastorum monita oves reverenter audirent, eisque humilitè acquiescerent: ideò ad majorem eorum omnium, quæ diximus, confirmationem, præter ea, quæ obiter retulimus in quarto decalogi præcepto de mutuis pastorum oviumque obligationibus, uberioris explicanda sunt pastorum oviumque munia, ut, his melius intellectis, sanctius se gerant tam hi, qui præsunt, quam hi, qui subsunt spiritualiter, ideo sit.

CAPUT ULTIMUM.

*De his, qui præsunt, & de his, qui subsunt
spiritualiter.*

SUPERIORES spirituales, alii sunt Ecclesiastici, alii Religiosi. Superiores Ecclesiastici sunt ii, qui præsunt in Ecclesia: tales sunt Episcopi & Parochi, & demum omnes, qui pertinent ad Hierarchiam Ecclesiasticam. Superiores Religiosi sunt hi, qui præsunt in statu religioso: tales sunt, Generalis, Provincialis, & Superior localis; de quibus omnibus hic agemus, ostendentes, quæ debeant esse eorum dotes, & eorum munia.

ARTICULUS I.

Quem Prototipum sibi proponere debeant Superiores, tum Ecclesiasti, tum Religiosi.

PROPOSITIO unica. Prælati tam Ecclesiastici, quam Religiosi debent sibi Christum tanquam Prototipum proponere, & ad illius Doctrinam, & exemplum mores, vitamque suam componere; ut virtutes, quæ ipsis sunt necessariae, obtineant, & vitia eorum dignitati contraria fugiant.

Probatur. 1^o. Scripturā. Deus alloquens Moïsen, eumq[ue] instruens circa ea, quæ diuinum cultum spectabant, quæque Judaico populo proponenda erant, ait. *Inspice & fac*

secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exodi c. 25. v. 40. à pari cuilibet prælato Ecclesiastico Religioso dici potest : inspice Christum, & fac secundum exemplar, quod tibi in Christo monstratum est. Unde ipse Christus omnes fideles, sed præcipue superiores spirituales alloquens, ait : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joannis 13. v. 15. Unde etiam Paulus ait : *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Ia. Ad Corint. 11. v. 1. Ideò dum Apostolus scribens ad Hebræos. c. 13. v. 20. Vocat Christum *Pastorem magnum ovium, qui aptat nos in omni bono.* Et Petrus Epis. Ia. c. 2. v. 25. Vocat Christum, *Pastorem & Episcopum animarum nostrarum.* Ergo oportet ut Superiores omnes, tum Ecclesiastici, tum Religiosi Christum sibi proponant tanquam exemplar, quod referant, quantum patitur hominum infirmitas.

2º. Ex August. Tract. in Joan. 123. Ubi sic habetur. *Quis non videat, inquit, magis debere imitando Pastori hærere Pastores, si eum multæ etiam imitatæ sunt oves, sub quo Pastore uno in grege uno, & Pastores ipsi sunt oves. omnes quippe fecit suas oves, pro quibus est omnibus passus: quia & ipse ut pro omnibus patieretur, ovis est factus.*

3º. Prælatio spiritualis tam Ecclesiastica quam religiosa participatio est supremæ illius auctoritatis, quam Christus habet in omnes fideles ; non enim alia de causa morem gerimus superioribus spiritualibus, nisi quia Christi auctoritate funguntur. Ergo sicut exhibent Christum auctoritate, ita & de-

Consecrarium Generale.

Omnis Prælati tum Ecclesiastici , tum Religiosi debent Christum inspicere , ut & ab eo addiscant , & ab eo accipiant . I^o. Quid debeant sibi . II. Quid debeant Deo . III. Quid debeant subditis . IV. Quid debeant Ecclesias , in qua sunt prælati , vel communitati in qua sunt Superiores .

Tria sibi debent Superiores , tum Ecclesiastici , tum Religiosi , primum cautionem providam , ne divinam vocationem , vel præcipites præveniant , vel pertinaces rejiciant ; Secundum continuam circa semetipsos vigiliam , ne à suscepta divina vocatione excidant ; tertium alternam orationis & actionis vicissitudinem ut sibi invigilant , ovibusque non indormiant .

Deo debent quatuor orationem , fidem , spem & charitatem . 1^o. Orationem , ut Dei voluntatem cognoscant , cognitam ament , & ad eam amandam alios excitent . 2^o. Fidem , ut omnia secundum rationem cœu regulam fidei administrent . 3^o. Spem ut sibi maxime dissidentes omnem in Deo fiduciam collocent . 4^o. Charitatem , quā in officio prælationis nihil nisi ex amore erga Deum incipient , persequantur & consumment .

Prælati quatuor debent inferioribus . 1^o. Charitatem , quam Christus exhibuit . 2^o. Bonum exemplum , quo Christus illuxit . 3^o. Doctrinam , quam Christus docuit . 4^o. Sacramenta , quæ Christus instituit . 5^o. De-

mùm prælati debent Ecclesiæ aut communia-
tati cui præficiuntur providam circa spiritua-
lia & temporalia sollicitudinem.

*Consectaria de iis, quæ Superiores spiri-
tuales sibi debeant.*

CONSECTARIUM I. Prima dos Supe-
rioris tum Ecclesiastici , tum Religiosi , est ut
sit conscius divinæ vocationis. Diximus ini-
tio hujusce tomī vocationem divinam ad
quemcumque statum necessariam ; sed divina
vocatio est specialius necessaria ad prælatio-
nem spiritualem suscipiendam , ut potè perि-
culis plenam. Circa istud duo extrema fu-
gienda sunt , scilicet nimià præcipitatio &
nimia dilatio ; non est prævenienda Dei vo-
catio , ne nos in prælationem intrudamus ;
non est rejicienda divina vocatio , ne simus
inobe ientes. Qui sine vocatione se inge-
rit , superbus est , sibique ovibusque commis-
sis magis nocet , quam prodest : ut docet Je-
remias cap. 23. v. 32. *Ecce ego ad Prophe-
tas somniantes mendacium , ait Dominus , qui
narraverunt ea , & seduxerunt populum meum
in mendacio suo , & in miraculis suis : cum
ego non misisssem eos , nec mandasssem eis , qui
nihil profuerunt populo huic : dicit Dominus.*
Qui autem Deo vocanti renuit obedire ,
contra se ipsum divinam iram excitat , ut pa-
tet ex Moysi ; cum enim vocatus esset ad
liberandum populum è manu Pharaonis . mu-
nusque illud detrectans , sic Deum oraret.
*Obsecro , Domine , mitie quem missurus es : ira-
gus es Dominus in Moyse.* Exod. 4. v. 13.

Qui divinam præveniens vocationem se ingredit, superbus; qui divinæ vocationi resistit, non verè humilis, sed inobediens: ille verè pius, qui cognitâ Dei vocatione, cum timore & tremore obsequitur. Hujus obedientiæ exemplum dedit Christus, qui, teste Paulo, Patris vocationem nec prævenit, nec rejicit; non prævenit tempore, nec rejecit dilatione: nam ut ait Paulus, *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Ad Hebræos, cap. 5. v. 5. *Et ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Ad Gala. 4. v. 4. In cuius persona loquens Isaïas ait. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii, corpus meum dedi percipientibus & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me* Isaï. 5. v. 5. Quo ostenditur Deo etiam ad opprobria vanti non esse resistendum. Contra eos qui divinam præveniunt vocationem, insurgit Bernardus Tract. de moribus & officio prælatorum. cap. 1. *Caterum, inquit, curritur in clero passim ab omni astate & ordine, à dotti pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. Nec mirum de his qui nondum in semetipsis experti sunt, videntes quippe illos, qui jam proprios humeros cupidæ sarcinae submisserunt, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari; non deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non vident, sed favoribus amplius, quos illis invident, provocantur; o infinita semper ambilio;*

& insatiable avaritia! Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesiâ meruerint autem vel vita merito, vel pecuniae, sive etiam carnis & sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt, prærogativâ? Non ideo corda quiescunt, duplicit semper & suauitatem desiderio: quo uique magis ac magis & dilalentur in plura, & ad celsiora sublimenrur.... Et postea insurgens in eos, qui Beneficia Beneficiis cumulant, aut Beneficium, quod habent, amplius quam par est, excedunt, sic habet. Quid igitur, nunc verecundâ deputâ formidine, sponte ambis ad ampliora, imo irreverenti audaciâ, propriis non contentus invadis aliena; cur hoc, fortè ut plures populos salves? Sed in alienam mittere saltam injuriosum est... crudelis ambitio & incredibilis, si fidem oculi non astruebent. Ita verò increpat eos, qui ex pertinaci humilitate munus prælaturæ suscipere renunt. Epis. 20. Neque sterilis verecundia, inquit, grata est, neque humilitas præter veritatem laudabilis: officium tuum attende: pelle pudorem consideratione officii: sed non sum; inquis, ad ista sufficiens: quasi vero devotio accepta non sit, ex eo quod habes, non ex eo quod non habes; de solo credito tibi talento respondere para, securus de reliquo: si mulsum acceperisti, da multum, quod si modicum & id tribue. Et lib. 4°. Ad Eug. cap. 4. Sic probat compellendos esse ad prælationem eos, qui digni sunt. Hoc tibi, inquit, persuade, qui admittendi sunt, difficile incuria posse probari: & ideo si fieri potest, viros probatos oportere deligi, non probandos..... idque non volentes, neque currentes assumito, sed cunc-

tantes, sed renuentes, etiam coge illos & compelle intrare. Inter haec itaque, inquit, Greg. lib. past. part. 1^a. cap. 9. Quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus nec coactus accedit. Illud si omnino renuntur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur; pecuniam siquidem in sudario ligare, est percepta dona sub oculo lenti torporis abscondere. Ifste si faciliter acceptat, videat ne per mali operis exemplum fiat obstaculum ingredientibus regnum Cœlorum, more Pharisæorum: quibus Dominus dixit quod neque ipsi intrabant, neque alios intrare permittebant. Denique eam adhibeat cautionem, quam nos adhibendam præscripsimus initio hujus tomij, ubi de vocatione egimus: nam periculum utrinque nobis imminet, sive prælationem præcipites queramus, sive pertinaces fugiamus: non posse j�are, scilicet onus prælaturæ suscipiendo, inopie est, nolle, extremæ malitiæ, inquit scholiastes Climaci Epist. ad Pastores cap. 12. Quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorem summum non amare convincitur. Greg. 1^o. Curæ Pasto. cap. 5. Qui vero præceps illud onus suscepit; imprudentissime agit; quippe ut ait Aug. lib. 19. de civi. cap. 19. Locus superior... etsi ita geneatur, & administretur ut decet, indecenter tamen appetitur. Istud ergo medium eligendum: non quærenda prælatio ex ambitione, suscipienda ex subjectione. Præcepta, id est imperandi officia, inquit Greg. nec pro formidine debent deseriri, nec ex libidine amplecti;

lib. 24. moral. cap. 16. Tunc enim, inquit idem Doctor, potestas bene regitur, cum non amando, sed timendo retinetur, quae ut ministeri recte valeat, oportet primum, ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat. Ibid. Humilitas enim, inquit idem Greg. tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendum hoc, quod utilius subire precipitur, pertinax non est. p. 1. cur. past. cap. 6.

C O N S E C T A R I U M II. Alterum officium, quod sibi debent prælati, tum Ecclesiastici, tum Religiosi est continua circa semetiplos vigilantia, ne à gratia vocationis excidant; tria enim mala timere debet Superior etiam legitimè vocatus, scilicet securitatem ob vocationem à Deo acceptam, superbiam ob dignitatem suscepitam, & otium propter independentiam, quibus tribus malis non aliter mederi potest prælatus, quam per summam circa semetipsum vigilantiam. Primo quidem quantumcumque mortaliter certus sit se prælaturam non nisi divino jussu suscepisse, non ideo tamen omnino securus sit oportet, quin imò in timore & tremore operetur salutem suam necessarium est, quippe Saül non nisi iussu Dei suscepit gubernacula Regni Israëlitici, & tamen reprobus factus est; Judas à Christo vocatus fuerat & tamen impius proditor Christi factus est. Nec excusari potest prælatus male utens divinâ vocatione, eò quod ad prælaturam coactus ascenderit: ut late probat Chrysost. lib. 4. De Sacerd. cap. 1. Inducens sic Saülem se apud Samuelem excusantem. *Num ad regnum ipse administrandum cucurri? Num ad hujus potest-*

tatis regimen profili, atque ad volavi? Evidem in animo habui privatam vitam vivere, quietam illam quidem, ac molestiss vacancem: tu vero ad hoc me dignitatis autoritatisque per traxisti. In illa ergo vita humilitate, atque obscuritate versatus, facile offensiones hujusmodi de vitasse. Nam si ex vulgarium atque ignobilium hominum numero unus fuisset, mihi adversus Amalecitas bellum Deus non credidisset, quo mihi non credito peccatum hujusmodi numquam perpetrasssem. Verum haec que dixi, omnia ad desensionem sunt infirma; neque infirma tantum, sed etiam usque adeo periculosa, ut Dei iram magis irritent. Cum enim, qui magistratum meritis suis mijorem assecutus est, ut errata ipse sua tueatur, defendatque, Magistratus magnitudinem prætendere non oportet: quinimò in majorem virtutis profectum magnâ illâ Dei erga se benevolentia uti. Qui vero ob id peccandi licentiam sibi permittit, quod præstantiori dignitate ornatus sit, certe nihil aliud, quam Dei benignitatem, peccatorum suorum autorem facere conatur, id quod solempne quidem est impiis hominibus, iisque quorum vita in ignavia & socordia versatur. Superbiā timere debet prælatus, ut docet Gregorius. parte 2. Pastor. cap. 6. Sed plerumque rector eū ipso, quo ceteris preeminet, elatione cogitationis intumescit, & dum ad usum cuncta subjacent, dum ad votum velociter iussa complentur, dum omnes subdit, si quæ bene gesta sunt, laudibus esserunt, male gestis autem nulla autoritate contradicunt, dum plerumque laudent etiam, quod reprobare debuerant, seducti ab his, quæ infra suppetunt,

super

super se animus extollitur, dum foris immenso favore circumdatur, intus veritatem vacuatur, atque obliuus sui in voces se spargit alienas, talemque se credit, qualem se foris audit, non qualem intus discernere debuit, subiectos despicit, eosque aequales sibi naturae origine non agnoscit & quos sorte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vita meritis credit, cunctis se estimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam se constituit culmine apud semetipsum & qui aequalis ceteris naturae condizione constringitur, ex aequo respicere ceteros deditur. Sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est. Omne sublime videt & ipse est rex super universos filios superbiæ. . . . ait: ero similis altissimo. Miror ergo iudicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit; Apostatae quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis deditur. Sic Saül post humilitatis meritum in tumorem superbie culmine potestatis excrevit, per humilitatem prælatus quippe est, per superbiam reprobatus; Domino attestante, qui ait: nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël.. : Miro autem modo cum apud se parvulus apud Deum magnus, cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Tamdem Prælatus debet maximè cavere otium propter independentiam: ea est enim hominum natura; præcipue post peccatum originale, ut sui juris esse gestiar, nullisque legibus subesse glorietur; ideo prælati, si continuo non sibi præceveant, ab omnibus legibus immunes se esse

arbitrantur: quo circa summa vigilantiâ opus habent, ut sibi suadeant legibus longe stric-tioribus teneri in prælaturis, quam si su-periori subessent Episcopatus enim, inquit, Aug. lib. 19. de civ. cap. 19. *Nomen est operis.* Et Lautentius Justinianus ait. *Pastora-le officium est non honoris, sed oneris, non securitatis, sed periculi, non quietis, sed laboris.* divus verò Gregorius sic statum Prælaturæ describit 12. Parte Pastor cap. 6. *Quid namque est, inquit, potestas culminis, nisi tempe-stas mentis; in qua dum cogitationum semper procellis navis cordis quatitur, huc illucquē incessanter impellitur; ut per repentinos excessus oris & operis quasi per obvia saxa fran-gatur.* Quibus verbis satis aperte indicatur multò pluribus periculis agitari eos qui præ-sunt quam qui subsunt.

CONSECTARIUM III. Tertium offi-cium Prælati tum. Ecclesiastici, tum Reli-giosi erga se ipsum est alterna orationis, & actionis vicissitudo, quâ sic sibi vigilet, ut ovibus, quibus præest, non indormiat: sibi quidem primò vigilet, secundò verò ovi-bus suis, ut monet Paulus his verbis: *Atten-dite vobis & universo gregi.* Miram urrius-que illius vitæ activæ, & contemplativæ unionem docuit Christus, dum per triginta annos delituit contemplationi deditus, & per tres annos prædicationis ita orationem & actionem miscuit; ut dum populis instruen-dis insisteret, sæpius sese ab eisdem populis segregaret, ut solus & in silentio orationi va-caret: quo pacto alternam illam orationis & actionis vicissitudinem dirigi oporteat mul-

tis docet Gregorius 2a. Par pastor. Quæ singula juvat sic contrahere: Sit, inquit, Pius ille Doctor, Rector singulis compassionē proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: pastor cum Paulo ad tertium cœlum rapiatur contemplatione. & cum eodem per viscera pietatis descendat ad terras, dicens: quis infirmatur & ego non infirmor: cum Moyse crebro ingrediatur & egrediatur tabernaculum; videlicet intus in contemplationem rapiatur, foris infirmorum negotiis urgatur: intus Dei arcana consideret, foris onera carnalium oportet: & cum eodem in dubiis ad arcam testamenti ad consulendum Dominum recurrat, exemplo salvatoris nostri, qui postquam in monte orationi vacaverat, ad utbes, ad miracula pro relevandis hominum miseriis descendebat.

Consecaria de his, quæ prælatus tum Ecclesiasticus tum Religiosus debet Deo.

CONSEC. I. Primum officium prælati erga Deum est frequens oratio, quæ divinam legem cognoscat, cognitam amet, ad quam amandam alios excitet. Quantum orationi debeant prælati insistere docuit Christus princeps pastorum, qui etsi hypostaticè unitus cum divinitate tamen ut esset prælatis exemplum orandi integras noctes solebat orando transigere: & erat, inquit scriptura, per noctans in oratione: exemplum orandi dederunt etiam Apostoli; qui hoc exercitium quasi pastoribus indispensabile agnoverunt: nos vero, inquiunt, orationi & ministerio verbi instan-

G g ij

tes erimus act. 6. v. 4. & quamvis oratio & pietas ad omnia sit utilis, est tamen absolute necessaria ad cognoscendam legem Dei, quam prælati debent suis ovibus indicare iuxta illud Davidis: revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Sic Abram in contemplationem raptus cognovit pactum, quod Deus cum eo iniit: factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: noli timere Abram: ego protector tuus sum & merces tua magna nimis. Gen. cap. 15. v. 1. Sic Jacob in somno orationis vidit scalam flantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentis & descendentes per eam. Et certissimam hanc promissionem accepit: ero custos tuus, quemcumque perreveris. Gen. 28. v. 12. Quâ divina visione legem sibi à Deo impositam haud dubiè cognovit. Sic Moyses post quadraginta dierum jejunium cum oratione conjunctum legem Dei meruit accipere in monte Sinaï. Exod. 20. & Deuter. 5. Sic in oratione accepit Samuël, quo pacto se gerere deberet circa populum Judaicum, eius regimen ei Deus imposuerat. Item cum Daniël instantius oraret didicit tempus, quo Messias desideratus cunctis gentibus venturus esset. Demum Apostoli perseverantes erant unanimiter in oratione, cum voluerunt Apostolum in locum Judæ proditoris eligere, cum repletæ sunt Spiritu Sancto de cœlo in formam ignis descendente, cum statuerunt Diaconos elegere, cum controversiam circa legis Mosaicæ observationem definierunt, quibus singulis factis historicis convincimur orationem præla-

tis esse maximè necessariam, ut legem Dei agnoscant; præcipue cum ea quæ à prælatis sciri oportet, solâ oratione addisci possint; ut docet Greg. i moral. Cap. 17. *Sic enim, inquit, mens plerumque decipitur, ut aut qualitate mali, aut quantitate boni fallatur.* Sed hos virtutum sensus melius PRECES quam discussiones inveniunt, nam ea quæ præscrutari in nobis - meritis plenius nitimur, saepè verius ORANDO quam investigando penetramus. Etenim ut docet idem Gregorius lib. 4. exposit. I. Reg. cap. 1. *Sancti viri, inquit, qui omnipotenti Deo displicere metuant in suis judiciis faciles non sunt, sed cuncta prius rationabiliter ordinant ut ea foris in opere irreprehensibiliter disponant.* Nam electionem nullam accipiunt judicij, si non probatur contemplatione rationis ... Oculi quippe sanctorum sunt intellectus rationis referati per gratiam Spiritus Sancti. Ideo scriptura ait quod oravit Dominum Samuël antequam responderet populo. *Quid enim, inquit, Greg. Dominum oravit, nisi ut sibi dignaretur ostendere si tumultuantis populi petitioni assensum dare debuisset.* Si in indaganda lege Dei Samuëlem imitari negligant prælati, idem eis continget, quod Josué & Istaélitis, qui cum Gabaonitis imprudenter fœdus inierunt: quia ut testatur scriptura: *Os Domini non interrogaverunt.* Josué 9. v. 14. Si oratio sit necessaria prælatis, ut divinam legem cognoscant, multo magis est necessaria ut divinam legem jam cognitam diligent & ad ejus dilectionem salios inflammant: ut docet Aug. in omnibus suis libris, sed præcipue contra Pelagianos: sic enim ha-

bet Epist. 107. ad Vitalem. *Non ergo gratiam dicamus esse Doctrinam : sed agnoscamus gratiam , que facit prodesse Doctrinam , que gratia si desit , videmus etiam obesse Doctrinam.* Et in solutionibus quæstionum Hilarii. *Jubet ergo , inquit , Deus continentiam , & dat continentiam : jubet per legem , dat per gratiam , jubet per litteram , dat per Spiritum.* Lex enim sine gratia facit abundare delictum : & littera sine Spiritu occidit. Demum libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 19. definitur non solum per gratiam cognoscere nos mandata Dei , sed etiam per illam nobis præstari ut quod faciendum cognovimus , etiam facere diligamus atque valeamus. Ergo oratio maximè necessaria est prælato , ut divinam legem cognoscat , ut cognitam amet , & ut ad ejus amorem alios inflammet.

C O N S E C. II. Prælatus debet Deo fidem , quâ inferiores suos dirigat non secundum privatum suum spiritum , sed secundum rationem fidei , ut loquitur Paulus ; id est secundum regulas per fidem statutas , quibus zelum habeat , qui sit secundum scientiam , quibus zelum suum vel ardentiorem moderetur , vel lentiorem excitet , & omnia Deo dirigente operetur : hujusce rei exemplum dedit nobis Christus princeps pastorum , qui in negotio salutis generis humani non affectum matris Mariæ Virginis , vel Joseph , non propositum discipulorum , sed solam patris voluntatem , tanquam sui regulam sectabatur. *Ego , inquit , quæ placita sunt patri facio semper.* Sic cum Maria , & Joseph sollicitè triduo conquisitum Jesum in Templo reperissent , & his

verbis amanter conquererentur : *Fili quid fecisti nobis sic?* Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Jesus incunctanter ut parentum affectum non audiens , solam patris voluntatem intuens , respondit. *Nesciebatis , quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse* Luc. 2. v. 49. Sic cum Discipuli Christum cum Samariana colloquenter sollicitarent , ut sumeret cibum sibique provideret , respondit. *Ego cibum habeo manducare , quem vos nescitis.* Joan 4. v. 32. Sic Pater-Familias famuli cum ardentiores , quam par erat , vellent zizania permixta tritico eradicare , indiscretum illum zelum his verbis retinet. *Sinite , inquit , utraque crescere usque ad messem , ne eradicantes zizania ; eradicetis simul & triticum.* Et cum Jacobus , & Joannes vellent Christo suggerere ut de cœlo ignem emitteret , qui Samaritanorum urbem unâ cum civibus inflammaret , sic ardentiorum illum zelum retundit. *Nescitis cujus Spiritus estis : filius hominis non venit animas perdere , sed salvare.* Luc 9. v. 55. Sit ergo prælatus tum Ecclesiasticus , tum Religiosus talis , qualem Prophetavit Jeremias , loquens de Christo. *Regnavit , inquit , Rex , & sapiens erit , faciet judicium , & justitiam in terra* 25. v. 5. Sit sapiens , id est & se , & suos dirigat secundum rationem fidei , zelum divinum habeat , sed qui sit secundum scientiam : peccatoribus obstinatis irascatur , pœnitentibus condoleat , portet imbecilles ; sanet contritos ; demum fit ad instar Pauli , qui de se ait. *Omnibus omnia factus sum.* 12. ad Corint. 9. 22. quis , inquit , infirmatur & ego non infirmor ; quis

scandalizatur, & ego non uor. 2. ad cor. II.
v. 29 sit zelus illius prudens, & discretus,
ad rationem fidei semper compositus; nam
ut ait Bernardus. *Virtus discretionis absque*
fervore charitatis jacet, & fervor vehemens
absque discretionis temperamento precipitat;
ideoque laudabilis cui neutrum deest, quatenus
& fervor discretionem erigit, & discretion fer-
vorem regat. Ergo taliter oportet esse moratum
eum qui praest. Serm. 23. in cant. Prælatus
enim sive Episcopus, sive Parochus, sive
Abbas, ut monet Laurentius Justinianus, re-
gulis fidei semper adhærens, talis debet esse,
ut imbecillioribus laborem alleviet, augeat
autem robustoribus, adeò ut neque imbe-
cillitas opprimitur immoderatione, neque vi-
res insolecant alleviatione. Illud, inquit
Basilius, *observare anistes debet, ne impo-*
nendis gravioribus, quam quibus sustinendis
pares fratrum corporis vires sunt imperatis, eos,
qui ea facere non possunt, ad abjiciendam obe-
dientiam instiget cap. 31. de institut. monach.
Igitur, inquit Bernardus *esto patiens, qui non*
vincaris à malo, & esto pacificus ut vincas in
bono malum: esto patiens, quia es cum malis:
esto pacificus, quia præses malis. Habeat
charitas zelum, sed adhibeat pro tempore mo-
dum severitas. Censura quidem nunquam re-
missa, intermissa tamen plerumque plus pro-
ficit: *vigor iustitiae semper fervidus, sed nun-*
quam præceps, sicut non omne quod libet,
licet, sic non omne quod licet statim expedit.
Epist. 25. ad Hugonem Epis. Rhotom.

CONSECTARIUM III. Prælatus tum Ec-
clesiasticus, tum Religiosus, debet Deo

spem, quā in variis regiminis ambagibus de se maximē diffidat, in Deo verò omnino roboretur ad exemplum supremi pastoris, qui in humano genere redimendo, in patre sibi consustanciali fiduciam suam collocavit. *Ego autem, inquit, fidens eram in eo.* Ad hebrez. 2. v. 13. Et cum loqueretur de infallibili ovium suarum salute certitudinem illam in patris omnipotentiam resundebat. *Oves, inquit mee vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam aeternam do eis: & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Pater mens quod dedit mihi, maius omnibus est; & nemo potest rapere de manu patris mei: *ego & pater unum sumus.* Joan. 10. v. 28.

CONSECARIUM IV. Prælatus tum Ecclesiasticus, tum Religiosus Deo debet summam charitatem, quā omnia sua administrationis exercitia in augendam Dei gloriam reserat, & nihil in proprium commodum convertat: purioris illius charitatis exemplum in cunctis suis operibus ostendit Christus. *Non quero, inquit, gloriam meam sed eus, qui misit Patris.* Joan. 8. v. 50. Ejusdem charitatis exemplar dedere Apostoli in prædicando divino Evangelio, qui non aliud venabantur, quām clariorem divini nominis manifestationem, quorum erat ista omnium vox. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Psalm. 113. Porro puritas cordis seu charitas pura, in duabus consistit, inquit, Bernardus, *in querenda gloria Dei, & utilitate proximi;* ut *in omnibus videlicet artis suis vel dilectis nihil suum querat Episcopus;* sed tanum

aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Hoc enim agens implebit non solum Pontificis officium; sed & etymologiam nominis, pontem utique se ipsum faciens inter Deum & proximum tract de moribus & officio prælatorum. Eamdem autem charitatem in prælatis, præcipue in Episcopis exigit D. Thom. 2. 2. q. 18. 4. Sic enim discutrit. Qui ad prælationem erigitur non solum ad perfectionem tendat, sed in ipso jam perfectionis culmine esse debeat: perfectio autem omnis in perfectione charitatis sita sit necesse est, ut qui secundum exigentiam professionis suæ perfectus est, perfectam quoque habeat charitatem, sine qua perfectus non est.

Ea autem charitas pastorum erga Deum talis debet esse, ut non in Deo sistat, sed ad oves sibi à Deo commissas diffundatur. Charitas enim, inquit Augustinus, in primam Canoniam Joannis. Ut perficiatur nascitur, cum fuerit nutrita reboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectum venerit dicit: mibi vivere Christus est & mori lucrum eà charitate prælatus se ovi bus suis devovet; ideo sint.

Consectaria de his, quæ prælatus debet ovi bus suis.

Diximus concisè in explicatione quarti præcepti decalogi pastores debere ovi bus suis amorem, bonum exemplum, instructionem, & Sacramentorum administrationem, sed de his hic fusius agendum.

C O N S E C T A R I U M I. Prælatum Ecclesiastici, tum Religiosi debent ovi bus suis

quantum patitur humana infirmitas , pater-
nam eam charitatem ; quam Christus ovibus
suis exhibuit. Quemadmodum enim provi-
dentia parentum Carnalium animis vehemen-
tissimum erga filios suos amore invidit ,
quo uno naturæ Beneficio omnia quæ ad
ipsorum educationem institutionemque per-
tinent , collata ipsis esse videantur , ita ea-
dem providentia , quæ eundem ferè tenorem
in operibus gratiæ retinet ac naturæ , cum
prælatos omnes , scilicet Episcopos , Paro-
chos , Priores , patres suorum inferiorum esse
voluerit , meritò ab illis exigit charitatem ,
quâ bat , ut non minus prælati erga filios
suos sint solliciti quam parentes carnales pos-
sint erga filios à se genitos esse propensi , præ-
cipue cum amor supernaturalis longè sit effi-
cior quam amor naturalis , & generatio
spiritualis generationi carnali debeat præva-
lere. In hujus charitatis pastoralis exemplum
proponit se Christus dum ait : *Ego sum pastor
bonus , & animam meam pono pro ovibus
meis.* Et Paulus ad Romanos cap. 5. v. 6.
Sic charitatem Christi explicat. *Vix enim pro
justo quis moritur ; nam , demus quod , pro
bono forsitan quis audeat mori ; commendot au-
tem charitatem suam Deus in nobis , quoniam
cum adhuc peccatores essemus , secundum tempus
Christus pro nobis mortuus est.* Ejusdem chari-
tatis pastoralis exemplum dedit Petrus , cum
enim constituendus esset Petra fundamentalis
Ecclesiæ , ter interrogatur à Christo his ver-
bis *Simon Joannes , diligis me plus his.* Cui
trinæ interrogationi respondet humiliter. *Tu
scis quia amo te.* Joan. 21. v. 17. Non jac-

titans amorem , uti fecerat ante passionem , cum diceret . *Etiam si oportuerit me mori tecum , non te negabo ; sed judicium & examen amoris sui Christo relinquens , ait tu scis , quia amo te .* Exemplum ejusdem amoris pastoralis dedit Paulus , cum toto Apostolatus tempore ita fuerit affectus , ut mortem lubens pro fidibus sæpius vellet effundere : *ego autem , inquit , libentissimè impendam , & super impendar ipse pro animabus vestris , licet plus vos diligens , minus diligar .* Eodem amore succensi Paulus , & Moyses se pro ovibus suis devoverunt . Moyses sic pro Judæis in idololatriam lapsis deprecatur : *aut dimitte eis hanc noxam , aut si non facis , dele me de libro tuo , quem scripsisti .* Exod . 32 . v . 31 .

Paulus vero sic salutem Hebræorum exoprat , ut optet anathema esse à Christo pro fratribus suis , qui erant cognati ejus secundum carnem ad Rom . 9 . v . 3 .

Eodem charitatis zelo arserunt quotquot fuerunt in Ecclesia veri Episcopi , Ambrosius siquidem lib . 1 . de officiis Cap . 7 . ita habet : *non minus diligo vos , quos per Evangelium genui , quam si conjugio suscepisset : non enim ad diligendum vehementior est natura , quam gratia .* Divus Martinus , qui meritò præsulum gemma dictus est , dum ad cœlum possidendum evocaretur , tamen in gratiam ovium suarum dicebat Deo : *Domine si populo tuo sum necessarius , non recuso laborem .* Illud idem sentiunt , quotquot sunt veti prælati , & meritò quidem ; nam quod Christus præcipue à pastoribus exigit , est charitas : ideo Christus Petrum toti Ecclesiæ prælatus ,

tus, sic cum interrogat: Simon Joannes amas me. An amet Petrus redemptorem tēr interrogatur, inquit Gregorius, primū namque eī dicitur: Petre amas me, ut per amorem fortia agere studeat; secundō ut in contemplatione alia cognoscat; tertiō ut perfectæ charitatis effectu erga proximum serveat. Lib. 16. in Cap. 16. Lib. 1. Reg. Non enim otiosè, inquit Bernardus, repetitum est: Petre amas me, in commissione ovium, & ego quidem id significatum perinde puto, ac si illi dixisset Jesus, nisi testimonium perhibente iibi conscientiā quod me ames, & valide perfectèque ames, hoc est, plusquam tua, plusquam tuos, plusquam & te, ut hujus repetitionis meæ numerus implicatu, neque suscipias curam hanc, neque te intromittas de ovibus meis, pro quibus sanguis unige meus effusus est. Serm. 76. in Cantic. Ideò docet Divus Thomas 2. 2. q. 185. a. 3. ad 1. loquens de ea interrogatione Christi ad Petrum: de ampliore dilectione Christus Petrum examinavit ad ostendendum, quod ubi alias invenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipue attendi debet in ipso eminentia divine dilectionis. Et Cajetanus addit: Sine amore pastorem non esse pastorem, nisi æquivocè. In caput 22. Joan. Unde Bernardus prælatos omnes his verbis Davidis admonet: bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me; quid enim, inquit, professet disciplinam habere in conversatione, scientiam in prædicatione, nisi adsit bonitas amoris in intentione. Serm. ad pastores in Synodo Congregatos.

Charitas autem illa pastoralis debet esse non sterilis, sed fœcunda, non querens quæ

sua sunt , sed quæ aliorum. Debet esse
fœcunda , bonitatem effundens in subditos ,
ad instar charitatis Christi , qui ait : ego ve-
ni , ut vitam habeant , & abundantius ha-
beant. Et rursus : non veni ministrari , sed
ministrare. Et Paulus 12. Ad Corin. 9. v. 19.
Cum essem liber ex omnibus , omnium servum me
feci. Et Papa non alio titulo gloriatur , quâm
isto : servus servorum Dei. Ut enim optimè
monet Augustinus tractat. de pastor. Cap. 1.
Illud quod Christiani sumus , propter nos est ;
quod autem præpositi sumus , propter vos est.
In eo quod Christiani sumus , attenditur utilitas
nostra ; in eo quod præpositi , non nisi vestra.
Charitas ergo pastoralis deber querere , quæ
ovium sunt : quod ita explicat Beinardus ;
puritatem cordis in eo prælatus habeat , ut pro-
desse desideret , non præesse ; ut scilicet proprium
eommodum , vel honorem facili , seu aliud quid-
piam suum in prælatione non querat præter so-
lum beneplacitum Dei & animarum salutem.
Serm. 35. de diver. & scribens ad. Eugenium
lib. 3. de consideratione Cap. 1. sic Papam
illum singulosque prælatos instruit : ita & tu
præsis : ut provideas , ut eonsulas , ut procures,
ut serves ; præsis , ut profis Hoc fac &
dominari ne affectes hominum homo , ut non do-
minetur tibi omnis iniquitas. Et Hugo à
Sancto Victore Cap. 21. institut. Anast. Væ
tibi , si præses , & non prodes ; sed vae gravius ,
si quia non præesse metuis , prodesse refugis.
Examinent ergo Episcopi , Parochi , Abbates ,
&c. an habeant charitatem pastoralem. Vi-
deant qualiter charitatem describat Paulus
Charitas , inquit , patiens est , benigna est &c.

videant, an sint patientes, benigni &c. videant qualiter charitatem pastoralem describat Aug. de laudibus charitatis. *Charitas*, inquit, in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres laetissima, interfalsos patientissima est. *Charitas* inter opprobria secura est, inter odia Benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans, in virtute congratulans &c. Ejusdem charitatis pastoralis affectus late describit Greg. lib. 10. moral. quem consulas si lubet; sed numquam melius charitas pastoralis innotescit, quam cum vitam nostram cum vita sanctissimorum Episcoporum, Parochorum, & Abbatum comparamus, & eorum virtutes entitulari imitari.

C O N S E C T. II. Prælati cum Ecclesiastici, tum Religiosi debent suis inferioribus bonum exemplum. Christus omnibus præluxit exemplo; ideo omnibus ait: *exemplum dede vobis*, ut quemadmodum ego feci; ita & vos faciatis. Et Scribis & Phariseis fideenter dicit: *Quis ex vobis arguet me de peccato*. Unde teste Aug. una ex causis, cur verbum carnem assumpserit, ista est, ut scilicet in Christo haberemus pastorem, qui præluceret exemplo: *homo*, inquit Aug. sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat; ut ergo exhibetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. Ita apud D. Thom. 3. p. q. 1. a. 2. in corp. 11. Apostoli

primi Pastores electi à Christo non modo doccebant verbo , sed etiam Doctrinam suam corroborabant exemplo. *Providemus enim bona*, inquit Paulus, *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* 2. ad Corin. 8. v. 21. & scribens ad Tim. 3. explicans qualis debeat esse Episcopus , vult quod testimonium habeat bonum , ab his qui foris sunt. Et ad eundem Timotheum scribens : *nemo* , inquit , *adolescentiam tuam contemnat... sed exemplius esto fidelium in verbo , in conversatione , in dilectione , in fide , in castitate.* 1a. Ad Tim. 4. v. 12. & quidem merito. III. Si autori profano dicere licuit , quod vita principis sensuā est , eaque perpetua , ad hanc dirigimur , ad hanc convertimur , ad hanc conformamur. Plin. in Panegir. Trajani , à fortiori , id de prælatis spiritualibus intelligendum. *Talis sit* , inquit Hierony , Epist. 83. ad Oceanum *Prælatus Christi , ut qui Religioni detrahunt , ejus vitæ detrahere non possint.* Tales sint prælati juxta Greg. lib. 5. Reg. ind. 14. Epist. 56. *Ut præpositorum bonitas subjectorum sit salubris regula.* iv. Prælati sunt lux mundi , quā oportet nos illuminari , sal terræ , quo oportet nos à corruptione impediri ; ergo sicut lucem decet esse maxime lucidam , ut illuminet , sicut sal oportet esse salissimum , ut suā sal sedine à carnibus corruptionem amoveat ; ita oportet prælatos & probitatem suā ovibus suis illucere , & sanctitate eas à vitiorum putredine præservare ; etenim si lumen nostrum tenebræ sunt , ipsæ tenebræ quantæ erunt , & si sal infatuatum fuerit , in quo salietur : Ideo certè nihil est vel ad perniciem Ecclesie nocentius , vel ad de-

corem monstruosius, vel ad publicam salutem infensius, quam si ii, qui ob prælationem sunt sublimiores, infeliciter sint ob vitia depressiores: ut dicit Ludovicus Granatensis in concione de Officio Pastoris. *Sicut enim, inquit Hierony., nihil esse diximus Episcopo excellentius, sic nihil est commiserabilius, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimine teneatur de dignitate Sacerdoti.* cap. 3. Quam deturpatam Ecclesiæ faciem sic describit Bernardus libr. 1. de consid. *Monstroser est, gradus summus & animus insimus, sedes prima & vita ima: lingua magni-loqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus gravis, & aetus levius: caput canum, & cor vanum: facies rugosa, lingua nugosa; ingens autoritas, & nutans stabilitas.* Quod quidem monstrum idem Bernardus fusiūs alibā insectatur, tractans illud proverb. *cælum & terra deorsum;* ubi ait: *negligentia prælatorum tantam deordinationem & confusionem induxit, quod in eis est terra sursum, & cælum deorsum, pedes supra caput, & facies retro, & interiora exira effusa sunt: Deus ibi conculcatur, & terra deificatur; diabolus honorifice recipitur, Deus verò contumeliosè repellitur.* In exposit. reg. S. Bened. par 5. cap. 7.

Videant ergo Episcopi, Parochi, & Superiores Religiosi, quod onus eis incumbar; eis istud præcipitur, inquit Basilius: *Exemplum esto fidelium. Oportet,* inquit D. Bonaventura, ut quilibet possit dicere, quod Paulus dicebat: *Imitatores mei estoite, sicut ego Christi. Oportet,* inquit D. Benedictus cap. 2. Reg. *Ut capacibus discipulis mandata Domini ver-*

bis proponat, duris verò corde & simplicioribus factis suis divina præcepta demonstret. Oportet, ut singulis pietatis exercitiis interficit. Principem te constituerunt, esto inter illos, quasi unus ex ipsis. Eccli. 32. Esto, inquit Bernar. in illis, non supra illos, quasi in potestatis throno, nec extra illos in privatis cameris, dimitendo communitatem extra necessitatem; sed in illis, id est inter illos tamquam communis homo, communiatem tenendo, in choro, refectorio, &c. lib. 4. de rect. Nec sufficit quod prælatus intersit pietatis exercitiis, nisi ea ipsemet impigre exequatur. Sint Abbatess subditis bene vivendo duces, inquit Concil. Turon. an. 813. cap. 24. Episcopi, Parochi, & Abbates, qui contra faciunt, Ecclesiam vel communiatem, cui præsunt, deturpant. Facies enim Sanctæ Ecclesiæ hi sunt, qui in locis regiminum positi apparent primi, inquit Greg. lib. 15. Moral. cap. 7. Causa sunt damnationis eorum, qui ob datum scandalum pereunt, inquit Damianus lib. 1. Epist. 9. Episcopus tot animarum reus est, inquit, quot per ejus negligentiam suo pravo exemplo depe-reunt.

CONSECTARIUM III. Prælati tum Ecclesiastici, tum Religiosi debent tradere suis inferioribus eam Doctrinam, quam Christus docuit. Consecrarium istud unum jubet, scilicet quod pastores suas oves instruant, alterum vetat, scilicet ne Doctrinam aliam ab ea, quam à Christo acceperunt, communicent. Quod prælati instructionem debeat suis ovibus, patet exemplo Christi, & Apostolorum: Christus siquidem Princeps

Pastorum munus instruendi satetur accepisse à patre. Ego autem , inquit , constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus , prædicans præceptum ejus. Psal. 2. Et cum ingressus esset Sinagogam Nazareth , cique traditus esset liber Isaïæ Prophetæ , ubi revolvit illum , invenit locum , ubi scriptum erat : spiritus Domini super me ; proper quod unxit me , evangelizare pauperibus misit me, Cœpitque dicere ad illos , quia hodie impleta est hec Scriptura in auribus vestris, Lucæ 4. v. 17. Apostoli vero se ad prædicandum Missos publicè contestantur : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei , & Ministrare mensis.... nos vero orationi & ministeriò verbi instantes erimus. act. 6. Ideò Paulus act. 2º. ait : per triennium non cessavi die ac nocte cum lacrymis monens uniuersumque vestrum & alibi : ve mihi si non evangelizavero. Et iastruens Timotheum sic eum ad prædicandum hortatur : attende , inquit , lectioni , & exhortationi & Doctrinæ. Et iterum : attende tibi , & Doctrinæ , insta in illis : sic enim te salvum facies , & eos qui te audiunt. Et 2. ad Timo. 4. Minacibus verbis sic eum obtestatur : Testificor coram Deo & Christo Jesu , qui judicaturus est vivos , & mortuos per adventum ipsum , & regnum ejus ; prædicta verbum , insta opportunè ; importunè , &c. Quibus verbis satis indicatur præcipuum munus prælatorum esse instructionem. Ideò huic insistebant toti antiqui Episcopi , Chrysostomus , Ambrosius , Augustinus , &c Ideo Concilia præscribunt prælatis ut prædicationis ministerio incumbant ; sic enim habet Concilium Carthaginense

se quum. Episcopus nullam rei familiaris curant ad se revocet , sed lectio ni , & orationi , & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet : & Hispalense rum. sic loquitur ; Episcopo præsenie non licet Presbytero populum docere , aut exhortari. Demum Tridentinum expressè determinat omnes Episcopos , Archiepiscopos , Primates , & omnes alios Ecclesiarum prælatos teneri per se ipsos . si legiti mē impediti non fuerint , ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Sess. 4. c. 5. Ideo Gregorius Epist. 39. lib. 2. dicit quod Episcopi est de prædicationis ministerio semper cogitare. Et lib. 4. Epist. 37. Ecclesiam sine Episcopo prædicante comparat areni alveo. Nec prælati possunt se excusare , quod variis exterioribus negotiis occupentur ; nam sibi debent applicare Consilium , quod Jetro Moïsi suggestit : Esto tu populo in his , quæ ad Deum pertinent , ut referas , quæ dicantur ad eum , ostendasque illis cæremonias , ritumque colendi , & viam , per quam ingredi debent. Exodi. 18.

Alterum , quod prælati debent suis inferioribus , est , quod non aliam quam Chisti Doctrinam eis communicent. Hujuscemunerationis exemplum , & præceptum dedit Christus , dederunt & Apostoli , dederunt & Sancti Patres. Nam Christus etsi infallibilis non aliam voluit populis Doctrinam tradere quam eam , quæ ei per æternam generationem à Patre communicata fuerat. Doctrina , inquit , mea , non est mea , sed ejus , qui misit me , Patris.

Apostoli vero loquebantur , prout spiritus Sanctus dabat eloqui illis ; adeo ut si quæra-

mus primam hujus Doctrinæ , quam traditu-
ri sumus , originem , hæc origo alia non sit ,
quam Deus revelans in Cœlo mysteria. Pa-
ter æternus docet filium communicando ei
divinam naturam , & mittit illum in mun-
dum tanquam Doctorem nostrum. Pater &
Filius communicando naturam spiritui Sancto
Doctorem Ecclesiæ illum efficiunt , juxta
illud : *ille docebit vos omnem veritatem.* Ec-
clesia ergo docta à Patre , & Filio & Spiritu
Sancto Prælatis communicat Doctrinam , quæ
ovibus communicanda est. Caveant ergo Præ-
lati , ne Sacrum illud depositum Doctrinæ
tantisper adulterent ; audiant Vincentium Ly-
rinensem ista verba Pauli exponentem , *de-
positum custodi.* Depositum , inquit , id est
quod tibi creditum est , non quod à te inven-
tum : quod accepisti , non quod excogitasti:
rem non ingenii , sed Doctrinæ : non priva-
tæ usurpationis , sed traditionis publicæ : rem
ad te perductam , non à te perlata ; in qua
non auctor esse debes , sed custos : non insti-
tutor , sed sectator ; non ducens , sed se-
quens : aurum accepisti , aurum redde : nolo
michi pro aliis alia subjicias. Custodi propter
in'micos , propter fures. Custodi etiam dili-
genter , sedulo , fideliter , ut suo tempore ,
cum oportuerit , quibus oportuerit , reddas :
devitans profanas vocum novitates , id est
sententiarum , dogmatum , rerum , quæ sunt
vetustati contrariæ. hactenus Lyrenensis. Vi-
deant ergo Episcopi , Parochi , Abbates , an-
sint in prædicando solliciti , & in tradenda
Christi Doctrina fideles.¹¹⁰

CONSECTORIUM IV. Quartum Offi-

cium Prælatorum erga subditos , est legitima
Sacramentorum administratio , quæ quo pacto
fieri debeant , dicemus in sequenti tomo , ubi
de Sacramentorum administratione .

*Consecaria de his , que Prælati debent Ecclesiæ ,
vel communitati , cui præsunt .*

C O N S E C T A R I U M I. Prælati Ecclesiastici debent Ecclesiæ , cui præsunt , continuam circa spiritualia ejus bona tuenda & promovenda vigiliam , v. g. debent semper invigilare , ne veritas fidei alteretur , sanctitas morum corrumpatur , severitas Ecclesiastica disciplinæ enervetur . Debent ergo pugnare primò contra infideles veritatem fidei alterantes , secundò contra laxiores vel rigidiores doctores Moralem Christianam corruptentes , terciò contra repidos fideles à vera Ecclesiastica Disciplina degenerantes . Ad hanc triplicem pugnam necessaria est sanctitas vitæ , quâ puritas Moralis Christianæ factis potius quam verbis Sceleratioribus suadeatur ; sublimitas scientiæ , quâ fidei veritas pertinacioribus demonstretur ; intrepida fortitudo , quâ in difficilioribus circumstantiis Ecclesiastica disciplina conservetur ; & demum continua oratio , quâ singuli Ecclesiæ hostes à Deo exorato potius quam à nobis certantibus convertantur . Ut ergo Prælatus debitam circa bona spiritualia Ecclesiæ adhibeat diligentiam , oportet ut in eo sit sanctitas sublimis , scientia non vulgaris , fortitudo intrepida , & oratio continua . Quæ singularia hic breviter perstringemus .

Sanctitas sublimis requiritur in Episcopo, in Parocho ex statu, ex nomine, ex Officio. Ex statu quidem; quippe Episcopus successor est Apostolorum, Patochus successor discipulorum Christi: etgo sicut quantum excellit alios dignitate, tantum debet præcellere sanctitate. Ex nomine, uterque enim Episcopus & Parochus Pastor est ovium. Quid ergo sequitur ex eorum nomine, nisi quod ait Gregorius in Pastorali: *Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris.* Ex officio; officium quippe Pastorale facit Episcopum & Parochum Dei cooperatorem in procuranda salute hominum. Quā ergo sanctitate pollere necesse est eum, qui sanctitate sua alios sanctos efficere debeat. Ut ergo in naturalibus ignis producit ignem, in artificialibus pictor pingit alium pictorem: ita in supernaturalibus ordinariē loquendo, sanctus sit, oportet, qui alios sanctificat. Unde in veteri lege, num. 19. mundus erat, qui aquā expiationis lustrabat immundum. Quò tendit illud Ecclis.

34. *Ab immundo quis mundabitur.* Cui simile est illud Gregorii moral. lib. 7. *Manus sordida atiam non lavat & oculus plenus pulvere maculam non considerat.* Ita mundus deber esse, qui alios vult corrigere; & quamvis sanctitas ministri non requiratur ad valorem Sacramenti: requiritur tamen ad ejus decentiam, & ad efficaciam correctionis.

Scientia non vulgaris requiritur in Episcopo & Parocho ex statu, ex nomine, ex officio. Ex statu quidem; uti enim natura oculos adjunxit capiti, quo cætera membra diri-

gi debent : ita in Ecclesia , qui caput statuitur instar est oculi ; & proinde lumen habeat acutum necessarium est. Ex nomine ; Episcopus enim vox Græca est à contemplando & speculando deducta , ergo decet ut vim cognoscendi non mediocrem habeat. Ideo prælatum apud Ezechielem 3. vocat Dominus speculatorum : *Fili hominis* , inquit , *speculatorum dedi te Domui Israël*. Ex Officio quidem ; quia Episcopi & Parochi est oves dirigere : in dirigendo autem primas partes tenet scientia. Ideo sapientiam præ omnibus petivit Salomon , cum Rex esset constitutus super Israël , quâ scientiâ si destituatur Prælatus nihil eveniet , nisi quod dixit Christus : *Si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foream cadent*. Math. 15. Hinc colligitur numquama Deum severius punire , quam cum permittit ignaros prælatos præesse. Ecce ego , inquit , addam ut admirationem faciam populo huic , miraculo grandi & stupendo ; peribit enim sapientia à sapientibus , & intellectus prudentium abscondetur. Isaï. 29. & inter maximas populi Judaici calamitates hanc enumerauit , quod Dominus auferet à Juda & Hierusalem senem , & Consiliarium , & prudentem eloquii mystici. Isaïæ. 3.

Fortitudo intrepida requiritur in Episcopo & Parocco ex statu , ex nomine , ex Officio. Ex statu quidem , cum enim uterque sit præfodus illius arcis , quam impugnant dæmones & homines , in eo loco uterque constitutus est , ut verè in illum cadat , quod olim de Ismaële dictum est : *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum* , atque è regione

regione fratrum suorum figet tentoria. Quantā ergo opus est fortitudine ad tot hostes propulsandos. Ex nomine; Episcopus enim & Parochus est fortis ille, de quo loquitur Micheas. 3. Civitas munita, de qua Jeremias. 1. Et ille adamus de quo Ezechiel 3. Ego repletus sum, inquit Michæas 3. v. 8. fortitudine spiritus Domini, judicio, & virtute, ut annunziem Jacob scelus suum, & Israël peccatum suum. Jeremiæ verò Dominus ipse dicit. 1. v. 18. Ego quippe dedi te hodiè in civitatem muniam, & in columnam ferream, & in murum aeneum super omnem terram regibus Iuda, & Principibus ejus. Ezechieli verò dicit: Ecce dedi frontem tuam valentiorē frontibus eorum; ut adamantem & silicem d̄di faciem tuam. Ezechiel 3. v. 8. Quā ergo fortitudine roborentur oportet, qui sunt in Ecclesia tamquam milites Dei, tamquam civitates munitæ, & tamquam adamantes. Ex Officio autem requiritur intrepida fortitudo in Episcopo & Parocco: s̄pē enim fidei veritas à paganis & ab hereticis inspetitur; s̄pē sanctitas morum à Doctoribus vel rigidioribus, vel laxioribus, aliter, quām oportet, explicatur; & s̄pē ab impotibus christianis deturpatur; s̄pē Ecclesiastica disciplina, vel tamquam laxior, vel tamquam severior accusatur; s̄pē iura Ecclesiae ab Imperatoribus, aut à magnatibus invaduntur; s̄pē obrepticia, vel subrepticia privilegia ventilantur: his omnibus est resistendum, cum illis hostibus decertandum. Quā ergo fortitudine oportet munitus sit prælatus: si enim, inquit Cyprianus scribens ad Cornelium, si, inquam, ita res est, frater,

nequissimorum timeatur audacia, ut, quod malum jure atque aequitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant: alatum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesie gubernandæ sublimi ac divina potestate, nec Christiani ultrà aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditionis minas atque Insidias pertimescamus... manere debet apud nos, frater, fidei robur immobile, & stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus. Eo labore munitus erat sanctus Cantuariensis Episcopus, qui neque sui, neque suorum clade fleti potuit, ut Ecclesiæ jura iniquo Regi invadere cupienti cederet: eo erat armatus zelo Ambrosius, quando Theodosium Imperatorem propter admissum scelus ab ingressu Ecclesiæ prohibuit, quando Atiano Imperatori Basilicas petenti, mortem etiam minitanti, infracto animo restitit, dicens Tradere Basilicas non possum; sed pugnare non debeo: quia non tradendas, sed servandas acceperi. Hoc labore plenus erat Athanasius, cum contra Arium & Arianos fortiter dimicavit. Ea fortitudine plenus erat Stephanus, pleni Apostoli, dum fidem contra Judæos, contra Paganos, contra Hæreticos propugnarunt. Similem fortitudinem à Deo postulent prælati necessarium est.

Oratio continua necessaria est Episcopo & Patrocho: Bellum enim, quod utriusque gerendum est, numquam melius quam oratione geritur: Moyses enim, qui perfectissimi Pastoris nobis exemplum præbuit, orando non bellando hostes suos repressit, orando siquidem maria divisit, Ægyptiorum currus

exercitusque prostravit, Amalecitarum agmina fudit, & de exteris gentibus trophya saepe inclyta reportavit. Quod orationis exercitium in christiano isto, de quo agimus, bello magis est necessarium: quippe prælati non mortem querunt hostium Ecclesiæ, sed conversionem, quam sola oratio à Deo potest impetrare.

C O N S E C T A R I U M II. Prælati Ecclesiastici debent Ecclesiæ vigilantiam circa temporalia, non immediatam, quam ipsi gerant, sed mediatam quam aliis imperent; quam tamen ipsi juxta regulas prudentiæ debent dirigere. Ita docet Gregorius. 2. part. Pastoralis cap. 7. *Sæcularia judicia si habueritis, contemp-tibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* 1. ad Corinib. 6. Ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant. Ac si apertius dicat: *quia penetrare intima nequeunt, saltem necessearia foris operentur.* Unde latè prosequitur idem Papa, quæ nos hic contrahimus: *Ierò* arguebat Moysen, quod terrenis populi negotiis stulto labore serviebat. *Oscæ.* 4. Dominus minatur Judæis, quod erit *sicut popu-lus, sic Sacerdos;* quando scilicet Sacerdos, qui deputatur spiritualibus officiis, temporalibus mancipatur exercitiis. *Quod malum sic deflet Jeremias Thren.* 4. *Quomodo, inquit, obscuratum est aurum, mutatus est color opis-mus, dispersi sunt lapides sanctuariorum in capite omnium platearum.* Quod utique fit, cum Sacerdotes negotiis sæcularibus occupantur: nam Christus vetat singulis Christianis, curis hujus vitæ inharrere: ergo à fortiori id ve-

rat Episcopis , Parochis , & Sacerdotibus . Et Paulus 2. ad Timoth. 2. Sic Clericum à seculatibus negotiis removet . Nemo , inquit , militans Deo , implicat se secularibus negotiis . Illud idem Gregorius ita explicat scribens ad Marinianum Epis. 28. Instanter , inquit , admoneo , quod si recte consideres , ut non plus pecuniae , quam animabus studeas ; illud à latere respiciendum , ad hoc autem tota mentis intentione laborandum ac vehementius intuendum . Illudque Gregorii lib. 7. Reg. ind. 2. Epis. maximè animo suo infigat prælatus non terrenarum rerum curam , sed animarum ducatum se suscepisse . Quia tamen , ut diximus , nulla respublica sive Ecclesiastica , sive civilis potest subsistere sine bonorum temporalium administriculo prælati Ecclesiastici non debent possessionum Ecclesiasticarum curam abjicere , sed conservare in subsidium pauperum tenentur . Ideo in jure Canonico id jubetur : cum Episcopus , inquit , & quilibet prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator , & non Dominus , conditionem Ecclesie meliorare potest , facere verò deteriorem non debet Cap. fratetnitatem de donatione .

C O N S E C T A R I U M III. Prælatus Religiosus debet communitati quoad spiritualia eamdem vigilantiam , quam à prælato Ecclesiastico exegimus cum isto insuper adjuncto , quod superiores Religiosi debent maximè invigilare , ut vota non violentur , ut regulæ observentur , & ut Pix consuetudines non intermittantur ; in his enim tribus tota perfectio religiosa consistit . De quo ita Bernardus , opere , ad quid venisti . *Debes stndere ,*

ut sicut ordo à tuis senioribus traditus est , ita
& tu tradas eum posteris tuis , quantum in te
est , verbo & exemplo , nec aliquam consuetu-
dinem non bonam inducas , nec aliquam bonam
per negligentiam , vel per incuriam diaboli pre-
termittas , nec in teipso , nec in aliis , quibus
cum modestia suadere potes.

CONSECTARIUM IV. Prælatus Reli-
giosus debet communitati quoad bona tem-
poralia eam vigilantiam non immediatam sed
mediatam , quam à superiore Ecclesiastico exe-
gimus , cum eo tamen addito , quod cum
Prælatus Religiosus non sit minus ligatus vo-
to , quam ejus subditi , nihil potest sibi tam-
quam proprium adscribere , sed è contra sequi
debet exemplum Malachiae Abbatis , de quo
ita Bernardus scribit : Sanctæ paupertatis , in-
quit , non modo partipem , sed & principem se
exhibebat , ipsius præcipue super omnes abund-
antiūs emulator existens. Aliunde reus est & in-
justitiae & sacrilegii , si vel sibi adscribat , vel
perdat , vel inferioribus necessaria substrahat ,
ut docet D. Basilius q. 144. & 143. Qui re-
bus Monasterii abutitur velut sacrilegus... ju-
dicetur. Quippe juxta Cassianum omnes anti-
qui partes , si quid fuerit Monasterio semel illa-
tum , ut Sacrosanctum cum omni decernunt re-
verentia debere tractari. lib. 4. cap. 10. & , 4.
& 19. & proinde sacrilegium committitur ,
si in pravos usus insumatur ; in justitia vero ,
si subtrahatur necessarium membris commu-
nitatis , cum in eorum substantiationem ea bo-
na Conventui data sint. Ideo optimè moner-
prælatum Religiosum Pachomius in sua regu-
la , ut quidquid necessarium est , præpositus
etiam non postulatus , impleat..

ARTICULUS II.

Quem prototypum debeant sibi proponere hi omnes, qui subsunt spiritualiter.

PROPOSITIO unica. Omnes, qui subsunt spiritualiter, sive sunt Laici, sive Clerici, sive Religiosi, debent, sibi Christum imitandum proponere, ut fideliter & hilariter prælatis suis obediant.

Probatur 1º. Scriptura Nemo finem prædestinationis assequitur nisi sit conformis Christo juxta illud Pauli: *quos præcivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui.* Ergo omnes qui subsunt, debent Christum sibi imitandum proponere, ut finem suæ prædestinationis assequantur.

2º. Ex libro de vita Christiana cap. 6. Inter opera Aug. *Christianus ille est, qui non nomine tantum, sed & opere est, qui in omnibus Christum imitatur & sequitur, qui sanctus, innocens, incontaminatus, &c.* Ergo ut finem prædestinationis assequamur debemus Christum imitari.

3º. Ratione desumpta ex eodem libro. Quis, inquit idem autor, tam vanus & miser est, qui advacatum se, cum litteras nesciat, audeat profiteri? Quis tam insanus & excors, ut se profiteatur militem, qui nesciat arma gestare, nemo enim quodecumque nomen sine causa fortitur. Sartor ut dicitur, necesse ut Calceamenta conficiat, ut vocetur quis Fabet aut artifex, artis peritia facit. . hujusmodi exemplis cognoscimus nul-

Ium sine actu nomen, sed omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo Christianus diceris in quo Christiani actus non apparent. Ergo oportet, ut omnes sive Laici, sive Clerici, sive Religiosi Christum, sibi imitandum proponant. Laici imiteatur eas virtutes, quas Christus ut homo & cum hominibus conversans exercuit. Imitentur Clerici eas virtutes, quas ut pastor animatum exercuit. Religiosi verò proponant sibi semper paupertatem, obedientiam, & castitatem Christi, & ad ejus exemplum votorum suorum observationem dirigant,

CONSECTARIUM unicum. Quantacumque sit perfectio, quam in hac nostra morali à Laicis, à Clericis, à Religiosis exigimus, minus est quod requiritur, quam quod imperatur, multoque plura & excellentiora præcipit conformitas Christi omnibus imperata, quamquæ nos in morali nostra descripserimus. Cujus veritatis conscius facile fuerit, quisquis Christi vitam meditabitur. Quod ne gratis dictum videatur, en quomodo simplicem Christianum describat autor jam citatus: *Christianus, inquit, ille est, qui viam Christi sequitur, qui Christum in omnibus imitatur: sicut scriptum est, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare.* *Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit, qui omnino non moveatur injuria, qui opprimi pauperem se presente non patitur, qui miseri subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum marentibus maret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur, cuius omnibus communis est do-*

mus, cuius janua nemini clauditur, cuius mensam pauper nullus ignorat, cuius deum panis cunctis offertur, cuius bonum omnes norunt, à quo nemo senit injuriam, qui Deo die, noctuque deseruit, qui ejus præcepta indesinenter meditatur & cogitat, qui pauper mundo efficitur, ut deo locuples fiat, qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo, & angelis ejus gloriosus appareat, qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum, cuius simplex, & immaculata est anima, cuius conscientia fidelis, & pura est, cuius tota mens in Deo est, cuius omnis spes in Christo est, qui cœlestia potius, quam terrena desiderat, qui humana spernit, ne possit habere divina. Nam his, qui hoc sæculum diligunt, & qui in præsentî tempore gloriantur, & complacent, audi quid dicitur: nesciis, quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Et quicumque voluerit fieri amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituetur.

De variis hominum statibus jam satis; nunc ad septimum tomum veniamus, ubi de Sacramentis Ecclesiæ agemus.

*Domine Deus une, Deus Trinitas,
quæcumque dixi in his libris de tuo,
agnoscant & tui, si quæ de meo, &
tu ignosce, & tui. Amen. Aug. lib.
15. de Trinit. cap. 51.*

ERRATA NOTABILIORA.

Pagina.	Linea.	Erratum.	Lege.
3.....	13.....	autem....	aetum.
13.	20.	avidis	Davidis
16.	21.	labore	labori
17.	21.	necessaria	necessariæ
39.	17.	percucurrit	percurrit
40.	18.	admittantur	admittatur
41.	1.	elegerit	elegerint
47.	32.	peccant	peccat
58.	25.	nostris	nostrâ
65.	30.	vestium	vestitum
72.	12.	veti	voti
75.	9.	externius	exterius
83.	36.	locato	loco
97.	26.	Clericis	Clerici
Ibid.	30.	Clericis	Clericus
98.	4°	post Clerici	sine puncto.
Ibid.	27.	post Monachis.	sine puncto.
104.	4.	aliquem	aliquam
107.	31.	post possessionem	sine puncto
115.	19.	certum	certam
117.	22.	recitanda	recitando
118.	31.	verbes	urbes.
120.	11.	præfulens	præfules
133.	8.	strictus	strictius
135.	19.	pius	prius
136.	27.	impendar	impendam
139.	18.	quæ	que
143.	31.	Congregaris	Congregatio
145.	1.	qua	que
151.	31.	Holoferni	Holofernus
153.	1.	fibi	sub

Pag.	Lin.	Errat.	Lege.
Ibid.	16	miliūm	militūm
Ibid.	30	hyernatiūm	hybernantiūm
154	19	suorūm	tuorūm
157	21	violare	violari
Ibid.	32	quæ	quā
Ibid.	Ibid.	post contraria sine puncto	
161	9.	ad infirar	ad instar
164	24	fortitudines	fortitudinis
173	15	Corinthii	Corinthii
177	21	suis	tuis
179	31	elegi	eligi
197	24	subjicit	subjici
Ibid.	31	ablatura	allatura

